DE REBVS CLAZOMENIORVM.

DISSERTATIO
INAVGVRALIS PHILOLOGICA
QVAM
CONSENSV ET AVCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARVM VNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
AD
SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XIV MENSIS SEXTILIS ANNI MDCCCLXXV
H. XII.
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR
IOANNES LABAHN
BRANDENBVRGENSIS.

ADVERSARII ERVNT:

F. HAESE, CAND. PHIL.
A. MAHLER, STUD. PHIL.
H. HOLZ, STUD. PHIL.

GRYPHISWALDIAE
TYPIS FRID. GVIL. KVNIKE.
MDCCCLXXV.

PRAECEPTORI CARISSIMO

PROF. DR. E. HILLER

S.

Pars I.

De Clazomeniorum urbe condita.

Constat inter omnes, urbes in Ionia fuisse duodecim, a quibus foedus illud ionicum celeberrimum constitutum est: Miletum, Ephesum, Erythras, Clazomenas, Prienen, Lebedum, Teum, Colophonem, Myuntem, Phocaeam, Samum, Chium [1]. Quae omnes praeter Phocaeam et Clazomenas, quae ante Ionum in Asiam adventum nondum fuerunt conditae [2], incolis superiorum temporum i. e. Caribus et Lelegibus aut domiciliis expulsis aut in societatem acceptis [3]) ab Ionibus occupatae sunt. Et Clazomenas quidem aliquanto post magnam Ionum commigrationem in Asiam esse conditas Pausanias his verbis refert (VII, 3, 8. 9): Κλαζομενίοις δὲ καὶ Φωκαιεῦσι πρὶν μὲν

1) Hoc ordine urbes enumerantur in Marm. Par. 27 et ap. Ael. v. h. VIII, 5; praeterea omnium nomina commemorat Herod. I, 142; conditorum nomina adduntur a Strabone XIV p. 633 et a Pausania VII, c. 2 4; cf. praeterea Vell. Pat. h. r. I, 4, 3; Ptol. geogr. V, 2; denique Chron. Pasch. I p. 59 Dind. ubi Mileti, Lebedi, Myuntis nomina desunt, ceterae septem urbes ab illis ipsis conditae commemorantur.

2) cfr. Paus. VIII, 3, 8.

3) v. Paus. VII, 2, 8; 3, 3 et 6; alibi: cf. praeterea Grote hist. of Greece (vers. german.) II p. 139; Curtius griech. Gesch. I[4] p. 220—221; 115—116; si autem Curtius p. 116 contendit nusquam priscos incolas eiectos esse, mihi haud prorsus accurate iudicasse videtur, cum verbi causa Paus. VII, 2, 10 disertis verbis tradat Cares a Myuntis et Prienes conditoribus ex finibus suis exactos esse. Idem de Lebedo VII, 3, 5 commemorat. Cfr. praeterea Strabo VII p. 321; XIV p. 661. Pherec. ap. Strab. XIV p. 632; Vitruv. IV 1 (Schneider).

ἢ Ἴωνας ἐς τὴν Ἀσίαν ἐλθεῖν οὐκ ᾤκουντο αἱ πόλεις, Ἰώνων δὲ ἀφικομένων μοῖρα ἐξ αὐτῶν πλανωμένη μετεπέμψατο ἡγεμόνα παρὰ Κολοφωνίων Πάρφορον [4]), καὶ πόλιν κτίσαντες ὑπὸ τῇ Ἴδῃ τὴν μὲν οὐ μετὰ πολὺ ἐκλείπουσιν, ἐπανιόντες δὲ ἐς Ἰωνίαν Σκύππιον τῆς Κολοφωνίας ἔκτισαν. ἀπελθόντες δὲ ἑκουσίως καὶ ἐκ τῆς Κολοφωνίας, οὕτω γῆν τε ἔσχον ἣν καὶ νῦν ἔτι ἔχουσι, καὶ κατεσκευάσαντο ἐν τῇ ἠπείρῳ Κλαζομενὰς [5]) πόλιν· Apparet igitur, partem Ionum iam aliquantum temporis in Asia circumvagatam tum demum, postquam duce Parphoro et sub Ida monte et in Colophoniorum agro habitaverunt, condidisse Clazomenas. Fuerunt autem magna Clazomeniorum pars non Iones, sed Cleonaei et Phliasii, quod ex Pausania discimus, ubi VII, 3, 9 haec exstant verba τούτων τῶν Κλαζομενίων τὸ πολὺ οὐκ Ἴωνες, Κλεωναῖοι δὲ ἦσαν καὶ ἐκ Φλιοῦντος, ὅσοι Δωριέων ἐς Πελοπόννησον κατελθόντων ἐξέλιπον τὰς πόλεις [6]).

De Clazomenarum situ cf. infra part. III, ubi de topographia disseram.

---

4) cfr. Strab. XIV p. 633: *Κλαζομενὰς δὲ Πάραλος* (scil. *ἔκτισεν*); utrum nomen verum sit, diiudicare nequeo, cum nullo alio loco nomen ducis memoretur id tantum addo, nomen quod est *Πάρφορος* hoc solo nisi fallor loco exstare.

5) *Κλαζομεναί*, non *Κλαζόμεναι* vel *Κλαζομέναι* nomen urbis recte scribitur, de quo cf. Herodian. ed. Lentz vol. I p. 330, 1. (*Κλαζωμηναὶ* in nonnullis nummis regnante Treboniano Gallo invenitur: cfr. Mionn. déscript. des méd. grecq. III p. 74 nr. 100.) Pro *Κλαζομένιοι* saepius in nummis exstat *Κλαζομήνιοι*, vid. Brandis, Münzwesen p. 561; Mionn. l. l. suppl. VI p. 90 nrr. 60, 63, 65, 66. — Semel *Κλαζζομένιοι* invenitur in tributorum titulis: cfr. Koehler Urk. u. Unters. des del. att. Seeb. p. 15 in comm. acad. Berol. 1869.

6) Apud Herod. I, 146 enumerantur inter diversas gentes, quae commigrationis participes fuerunt, etiam *Ἀρκάδες Πελασγοί*, quos C. Fr. Herm. Staatsalterth. § 77 not. 23 probabiliter fuisse Cleonaeos et Phliasios existimat. cfr. Baehr. ad Her. loc. — Guhlii sententiam in diss. philol., quae inscribitur ‚Ephesiaca' Berol. 1843 p. 28 etiam in Epheso occupanda Iones cum Arcadibus mixtos fuisse Grote Gr. Gesch. II p. 144 not. 26 reiecit. — Omnino de coniunctione Herodotea *Ἀρκάδες Πελασγοί* vid. C, Fr. Herm. l. c. § 7 not. 12.

Pars II.

De Clazomeniorum historia.

Commigrationi Ionum in Asiam factae non Iones tantum, qui maximam quidem partem effecerunt [1]), sed aliae quoque gentes interfuerunt velut Cleonaei et Phliasii [2]), Abantes, Minyae, Cadmei, Dryopes, Phocenses, Molossi, Epidaurii, Pylii, multae aliae [3]). Quos navibus in Asiam appulsis alios alia Asiae minoris oppida aggressos [4]) sensim pedetentimque incolis aut expulsis aut in societatem receptis oram occupasse maritimam iam supra commemoravi. Qui incolae fuerunt praecipue Cares et Leleges. Et Cares quidem partem Ioniae meridianam usque ad Ephesum, Leleges inde usque Phocaeam habitavisse testatur Pherec. ap. Strabon. XIV p. 632 [5]). Quare in Clazomeniorum agris antea Leleges fuisse egomet puto, cui sententiae etiam maiorem facit fidem Strabo XIV p. 634 *οἱ Σμυρναῖοι στρατεύουσιν ἐπὶ τὸν τόπον, ἐν ᾧ νῦν ἐστιν ἡ Σμύρνα, Λελέγων κατεχόντων.* Pergit scriptor l. c. *ἐκβαλόντες δ' αὐτοὺς* (scil. *Λέλεγας*) *ἔκτισαν τὴν παλαιὰν Σμύρναν,* unde etiam Clazomeniis in urbe condenda cum Lelegibus fuisse dimicandum affirmaverim. Etenim cum Smyrnaei priscos incolas vi expulerint, num statuemus Clazomenios Smyrnaeorum vicinos sine armis agro esse potitos? Accedit, quod Pausanias VII, 3, 10 (*τὴν δὲ χώραν οὐ πολέμῳ κατὰ δὲ ὁμολογίαν λαμβάνουσι παρὰ Κυμαίων,* scil. *Φωκαιεῖς*) ceterarum urbium rebus abso-

---

1) cfr. Paus. VII, 2, 1.

2) cfr. part. I not. 6.

3) cfr. Herod. I, 146. Pylios ab Herodoto non commemoratos una cum ceteris se essionem suscepisse docet nos Strabo XIV p. 633 et 634.

4) cfr. Paus. VII, 2, 4.

5) Qua cum opinione congruunt verba Homeri Il. II, 868—870; cfr. de tota re Deimling ‚die Leleger' Leipzig 1862 p. 9 sqq.

lutis hoc tantum loco, ubi quomodo Phocaea condita sit enarrat, verba *οὐ πολέμῳ κτλ.* adiungit.

Urbium duodecim, quae parvo tantum inter se intervallo discretae inter Posidium promontorium atque Hermum interiectae erant, suum quaeque habuit rerum progressum. Aliarum incolae, prout regio ac situs iis favebat, in interiorem terrae partem processerunt [6]), aliae rebus nauticis studuerunt [7]), et in harum numero etiam Clazomenas esse habendas mihi ideo probabile videtur, quod de expeditionibus a Clazomeniis ad fines extendendos susceptis nihil legimus, nonnulla autem de coloniis ab iis conditis atque itineribus eorum mercatoriis [8]). — Dialecto urbes Ionum non prorsus eadem utebantur: cfr. Herod. I, 142 *γλῶσσαν δὲ οὐ τὴν αὐτὴν οὗτοι νενομίκασι, ἀλλὰ τρόπους τέσσερας παραγωγέων*, quam eandem sententiam aliis tantum verbis paulo post scriptor sic exprimit: *οὗτοι χαρακτῆρες γλώσσης τέσσερες γίνονται.* Recte Baehrius ad l. c. mihi iudicasse videtur, hos quattuor *τρόπους* sive *χαρακτῆρας* dialectos esse locales sive speciales, in quas abierit ionica dialectus. Si igitur Herodoti auctoritatem sequemur, urbes — quod singularum dialectum attinet — ita erunt discernendae, ut Miletum, Myuntem, Prienen eadem linguae proprietate usas esse statuamus, deinde altera Ephesum, Colophonem, Lebedum, Teum, Clazomenas, Phocaeam, tum tertia Chium et Erythras, quarta denique Samum [9]).

---

6) imprimis Ephesus; cfr. Strab. XIII p. 620.

7) omnium maxime Miletus et Phocaea; cfr. Rambach ‚de Mileto' Hal. 1790 et Thisquen ‚Phocaica' Bonn. 1842 p. 33 sqq.

8) vid. part. IV § 2.

9) Liceat mihi etiam ea quae Constant. Porphyrog. in libello, qui inscribitur ‚De Thematibus', de dialecto ionica iudicavit quamvis absurda sint afferre: lib. I p. 42 (ed. Bekker 1840) postquam linguam graecam in uinque dialectos dividi exposuit, sic pergit *καὶ ἀπὸ μὲν τῆς Μιλήτου μέχρι τῆς Ἐφεσίων πόλεως καὶ αὐτῆς Σμύρνης καὶ Κολοφῶνος Ἰώνων ἐστὶ κατοικία. οἵτινες τῇ τῶν Ἰώνων διαλέκτῳ χρῶνται, ἀπὸ δὲ Κολοφῶνος μέχρι Κλαζομενῶν καὶ τῆς ἀντιπέραν τῆς Χίου γῆς καὶ αὐτῆς τῆς*

Hae igitur duodecim urbes foedus ionicum constituere. Locus sacer, ubi non delecti tantum ex singulis urbibus viri, ut de rebus gerendis colloquerentur, verum etiam ceteri cives conveniebant, ut festum et in Neptuni Heliconii et in Apollinis Panionii honorem agerent, situs fuit in radicibus montis Mycales septentrionem versus tria stadia a mari remotus; cui nomen fuit Πανιώνιον, contio ipsa τὰ Πανιώνια vocabatur.

Gygen Lydorum regem (687 652)[10] Miletum et Smyrnam aggressum esse atque Colophonem occupasse ex Herodoto (I, 14) scimus. Ardys, qui illi successit, Priene urbe capta Miletum adortus infecta re rediit. Nec magis feliciter quam Ardys Sadyattes et Alyattes eius successores bellum Milesiis intulerunt[11]; Smyrna autem Alyatti resistere non potuit[12]. Atque eo tempore (anno fere 600) Clazomenii ab Alyatte rege oppugnati impetum egregie propulsarunt: cfr. Herod. I, c. 16 οὗτος δὲ (scil. Ἀλυάττης) ἐς Κλαζομενάς τε ἐσέβαλε. ἀπὸ μέν νυν τούτων οὐκ ὡς ἤθελε ἀπήλλαξε, ἀλλὰ προσπταίσας μεγάλως. Videmus igitur Alyatti[13]) clade magna accepta fuisse abeundum. Quare Clazomenios illo tempore permultum opibus valuisse statuere licebit. Nec vero eas tantum urbes ionicas, quas Herodotus oppugnatas esse enarrat, Alyattes aggressus est; ex Polyaeno (VII, 2, 2) enim etiam Colophonios ab eo bello lacessitos esse colligere possumus, quod Pertzium („Colophoniaca" diss. philol. Gott. 1848) prorsus omisisse egomet miror. Sed Alyattes licet unam alteramve urbem aliquamdiu occupatam tenuerit, hoc tamen ex Herodoti verbis I, 6 πρὸ δὲ τῆς

Μιτυλήνης καὶ τοῦ καλουμένου Περγάμου Αἰολέων ἐστὶν ἀποικία, οἵτινες διαλέκτῳ χρῶνται τῶν Αἰολέων.

10) cfr. Gelzer Rhein. Mus n. F. XXX p. 243 sq.

11) cfr. Her. I, 17 22.

12) cfr. Her. I, 16.

13) Falso Lehnertius de foed. ion. (diss. philol. Berol. 1830) p. 30 expeditionem ab Alyatte in Clazomenios susceptam adscripsit Sadyatti.

Κροίσου ἀρχῆς πάντες Ἕλληνες ἦσαν ἐλεύθεροι statuendum est ne unam quidem ex urbibus ionicis in potestatem ditionemque Alyattis redactam esse i. e. factam esse tributariam. Cuius rei causa fortasse in eo posita est, quod Alyattes in bello cum Cimmeriis et Medis gesto nimium laborem nimiasque opes consumere coactus fuit [14]). Croesus Alyattis filius a. 559 regnum adeptus bellum contra urbes ionicas cum successu excepit. Ac primum quidem bellum Epheso intulit urbemque cepit [15]), deinde paullatim omnes deinceps urbes in continenti sitas sibi subiecit tributariasque fecit [16]). Sed hoc animadvertendum est, continentis tantum urbes a Croeso subactas esse, minime vero insulas Samum et Chium. Croeso a. 546 a. Chr. n. a Cyro devicto, urbes ionicae – exceptis Mileto, Samo, Chio – cum eis verendum esset, ne ad servitutem adducerentur, in Panionium legatos miserunt, qui de omnium salute deliberarent. Quae quia antea Cyro ut foedus cum Croeso initum violarent postulanti minime paruerant, tum, ubi Croesi potestate prorsus deleta libentissime sese Cyri praecepta secuturas esse affirmaverunt, a rege acerbe repudiatae sunt. Frustra Iones inter alios Pythermum Phocaeensem Spartam miserunt, qui auxilium peteret. Seditio Pactyae cum Ionibus in Tabalum suscepta, quem Cyrus, cum Ecbatana proficisceretur, Sardibus satrapen reliquerat, per Mazarem Medum a Cyro missum, ut Sardes obsidione liberaret Ionesque puniret, repressa est. Prienensibus iam a Mazare in servitutem adductis, Harpagus, qui Mazare mortuo exercitui praeerat, ceteras deinceps urbes in suam redegit potestatem: cfr. Herod. I, 169 οὕτω δὴ τὸ δεύτερον Ἰωνίη ἐδεδούλωτο. Miletus ex continentis urbibus sola libertatem servavit; ex insulis autem, cum Harpagus id ageret, ut

14) cfr. Herod. I, 16.

15) De oppugnatione Ephesi cfr. narrationes ap. Aelian. v. h. III, 26 et Polyaen. VI, 50.

16) cfr. Herod. I, 6, 26, 27.

eas quoque sibi subiceret, Lesbos et Chios sua sponte sese Cyro dediderunt.

Iones non tali, qualem exspectare potuerunt, crudelitate vexati sunt. Quos quamquam oportuit Harpago contra Cares reliquasque gentes orae maritimae subvenire ac tributa solvere, tamen liberi, suis legibus eademque reipublicae forma qua antea usi, non sunt prohibiti, quominus ad Panionium convenirent et de rebus consultarent communibus.

Anno 499 a. Chr. n. per Aristagoram Mileti tyrannum cum seditio in Darium Persarum regem concitaretur, statim una cum ceteris urbibus Clazomenii, ut iugum Persicum excuterent, libenter eum secuti sunt. Athenienses et Eretrienses Aristagorae precibus commoti postquam naves auxilio miserunt, et in Ionia ipsa quidquid necesse erat provisum est, Iones contra Sardes profecti urbem ceperunt. Sed Persae cum celeriter congregarentur, Iones se Ephesum, unde venerant, receperunt ibique a Persis deprehensi cladem acceperunt turpissimam. Quod factum est a. 498. Urbs Clazomeniorum, qui strenue expeditioni contra Sardes susceptae videntur interfuisse, omnium prima ab Artapherne et Otane obsessa et expugnata est [17]: cfr. Herod. V, 123 Ἀρταφέρνης δέ, ὁ Σαρδίων ὕπαρχος, καὶ Ὀτάνης, ὁ τρίτος στρατηγός, ἐτάχθησαν ἐπὶ τὴν Ἰωνίην καὶ τὴν προσεχέα Αἰολίδα στρατεύεσθαι. Ἰωνίης μέν νυν Κλαζομενὰς αἱρέουσι, Αἰολέων δὲ Κύμην [18]. Recte Weissenbornius [19] suspicatus mihi esse videtur Clazomenas satis firmas ac potentes fuisse, quippe quae Persarum obsessionem, etsi scientiae oppugnationis haud imperiti illi erant, nonnullos tamen menses sustinerent. Quae

---

17) Ephesus clade ibi a Persis Ionibus illata utrum statim capta sit necne nescimus.

18) Grotius II p. 553 contendit Clazomenas ab Artapherne, Cymen ab Otane captas esse, quod quidem ex loco Herodoteo, quem citat, certe colligi nequit.

19) cfr. Hellen p. 119; plane consentit cum eo Curt. Gr. Gesch. I[4] p. 613.

erat causa, cur Artaphernes Clazomenis expugnatis ad tempus Sardes reverteretur [20]), ubi quae ad ceteros Iones eo celerius subigendos essent necessaria omnibus viribus intentis praepararet. Quae cum ita sint oppugnationem Clazomenarum inde a fine a. 498 usque ad initium a. 497 durasse cum Weissenbornio pro certo statuere possumus. Quid igitur mirum Clazomenios ceteros Iones [21]), qui ad Laden insulam a. 496 depugnarunt, navibus non adiuvisse? [22]) Rebus prope Laden infeliciter gestis, Mileto etiam eodem anno capta et diruta, a. 494 ceterae quoque urbes ionicae in Persarum potestatem redditae sunt: cfr. Her. VI, 32 οὕτω δὴ τὸ τρίτον Ἴωνες κατεδουλώθησαν, πρῶτον μὲν ὑπὸ Λυδῶν, δὶς δὲ ἐπεξῆς τότε ὑπὸ Περσέων. Quo eodem anno Artaphernes res urbium publicas ac privatas optime ordinavit. Inita enim nova agrorum Ionum dimensione [22a]) κατὰ παρασάγγας non modo suum cuique tributum eadem fere condicione atque prius fuerat constituit, sed etiam singulis urbibus suas leges suamque iurisdictionem concessit.

Qua in condicione usque ad a. 478 a. Chr. n. una cum ceteris Clazomenii versati sunt Sed Persis ad Mycalen fusis

---

20) Sardibus Histiaeus eum invenit (Her. VI, 1) aestate ineunte a. 497; cfr. Weissenb. Hell. p. 120.

21) octo tantum urbes pugnae interfuere: Her. VI, 7 sqq. Ephesus, Colophon, Lebedus, Clazomenae non commemorantur. cfr. Weissenb. Hell. p. 105 not. 54

22) Itaque Lamprechtius (diss. inaug. ,de rebus Erythraeorum publicis' Berol. 1871) cum ita scribit p. 28 ,Clazomenii cum insulam incolerent parvam neque ex agricultura neque ex mercatura magnos quaestus sibi comparabant, unde causa repetenda est, cur naves longos bello Persico non habuerint et parvum semper tributum solverint' falsum refert. – Parvum tributum non semper Clazomenios solvisse Lamprechtius ex Koehleri libro (Urk. u. Unters. d. del. att. Seeb. in comm. acad. Berol. 1869) p. 82 et 156, quem tam saepe laudat, discere potuit.

22a) De priori descriptione regni et vectigalium exigendorum ratione a. 516 a. Chr. n. cfr. Herod. III, 89 – 90; Duncker Gesch. d. Alterth. II³ p. 891 sqq.

fugatisque iterum a Persis desciverunt: cfr. Her. IX, 104 οὕτω δὴ τὸ δεύτερον Ἰωνίη ἀπὸ Περσέων ἀπέστη. Quo tempore paulo post pugnam ad Mycalen commissam, cum summa imperii a Lacedaemoniis ad Athenienses translata hi eos tantum Iones, qui in insulis habitabant, in sociorum numerum reciperent [23]), Clazomenios Persarum metu in insulam prope continentem sitam transgressos esse [24]) cum Weissenbornio [25]) summa cum probabilitate statuendum esse videtur.

Inde ab hoc tempore Clazomenii usque ad a. 412, quantum scio, perpetuo Atheniensium socii fuerunt. Foedus omnium, quae in fidem ac tutelam Atheniensium se contulerant, urbium insularumque ab his in omnes partes firmatum et stabilitum est. Potentioribus enim urbibus naves ornandae, minoribus tributa solvenda, omnibus mittendi fuerunt milites. Quae cum ita fuerint Clazomenios et milites ad bellum gerendum misisse et tributa pependisse consentaneum est; quantum autem tributi solverint ex titulis tributorum ab a. 454 a. Chr. n. saxo incisis apparet [26]). Ex quibus Clazomenios primis temporibus unum et dimidium talenti, bello Peloponnesiaco decies tanto plus quam antea contulisse verisimillimum est [27]).

Hoc loco errorem corrigere mihi liceat, in quem Koehlerus eumque secutus Lamprechtius [28]) irruisse mihi videntur. Illi enim pro certo affirmant eam Polichnen, quae in tributorum titulis vicis in Erythraeorum agris sitis unaque cum Erythris tributum conferentibus adnumeratur, fuisse Polichnen Clazomeniam, quam apud Thucydidem [29]) commemoratam habemus.

---

23) cfr. Herod. IX, 106.
24) cfr. Paus. VII, 3, 9 ἐς δὲ τὴν νῆσον διέβησαν (scil. *Κλαζομένιοι*) δὴ κατὰ τὸ Περσῶν δέος.
25) Hellen p. 119 not. 84.
26) Secutus sum hac in re Koehlerum.
27) cfr. Koehler. pp. 10, 12, 19, 33, 82 et 156.
28) Koehler. p. 159; Lamprecht de reb. Erythr. p. 2.
29) lib. VIII, 14, 3; 23, 5.

Putant igitur totum agrum Clazomeniorum, quem Strabo [30]) ab Hypocremno in orientem versus spectasse dicit, foedere cum Atheniensibus inito ab Erythraeis occupatum esse. Sed haec sententia, quae iam per se parum probabilis est, eo magis reicienda mihi videtur, quod cum ex Thucydide [31]) tum praecipue ex Aristotele [32]) partem continentis etiam illo tempore fuisse Clazomeniorum potest colligi. Accedit quod permulta oppida, quibus Πολίχνη nomen fuit, commemorantur [33]). Quibus de causis ut alter vicus Σιδοῦς in Clazomeniorum alter in Erythraeorum finibus situs erat [34]), sic etiam alteram Polichnen in agro Clazomenio alteram in Erythraeo fuisse mihi persuasi.

Vere anni 412 re Atheniensium in Sicilia infeliciter maleque gesta multi socii ab Atheniensibus defecerunt: cfr. Diodor. XIII, 34 εὐθὺς γὰρ Χῖοι καὶ Σάμιοι καὶ Βυζάντιοι καὶ πολλοὶ τῶν συμμάχων ἀπέστησαν πρὸς τοὺς Λακεδαιμονίους. Inter hos multos sociorum, quos Diodorus commemorat, etiam Clazomenios fuisse ex Thucydide apparet, qui lib. VIII, 14, 2 urbium ionicarum primum Chium et Erythras, deinde Clazomenas a Chalcideo et Alcibiade sollicitas descivisse narrat: ἀφίστανται Χῖοι καὶ αὖθις Ἐρυθραῖοι Ἀθηναίων. καὶ μετὰ ταῦτα τρισὶ ναυσὶ πλεύσαντες καὶ Κλαζομενὰς ἀφιστᾶσιν [35]). Tum § 3 ita pergit διαβάντες τε οἱ Κλαζομένιοι εὐθὺς ἐς τὴν ἤπειρον

---

30) lib. XIV p. 644; cf. Paus. VII, 3, 9.

31) l. VIII, 14, 3; 23, 5.

32) Politic. V, 2, 12 (1303^b 6).

33) De Polichne Troica cf. Strab. XIII p. 603; Polichnen in Chio insula sitam commemorat Herod. VI, 26; plura v. ap. Pape Gr. Eigenn. s. v. Πολίχνη.

34) vid. Steph. Byz. s. v. *Σιδοῦς: ἔστι καὶ περὶ Κλαζομενὰς κώμη· καὶ ἄλλη τῆς Ἐρυθραίας* Etiam Sidusii una cum Polichnaeis Erythras tributum transtulerunt. Boeckhius (Staatshaush. II, 728) eumque secutus Koehlerus (Urk. u. Unt. etc. p. 160) cur *Σιδοῦς* Clazomenium et Erythraeum unum eundemque fuisse vicum putarint idoneam causam non video.

35) cfr. Curt. Gr. Gesch. II⁴ p. 682.

τὴν Πολίχνην[36]) ἐτείχιζον, εἴ τι δέοι σφίσιν αὐτοῖς ἐκ τῆς νησῖδος ἐν ᾗ οἰκοῦσι πρὸς ἀναχώρησιν· καὶ οἱ μὲν ἀφεστῶτες ἐν τειχισμῷ τε πάντες ἦσαν καὶ παρασκευῇ πολέμου. Clazomenii igitur, ubi primum defecerunt, Polichnen urbem Clazomenis in continenti oppositam petierunt, quippe quibus verendum esset, ne in insula praesertim immunita[37]) multo difficilius quam in continenti Atheniensium classi resistere possent. Etiam ei expeditioni, quam Chii ut alias urbes in Lacedaemoniorum partes redigerent contra Lesbum et Hellespontum susceperunt (Thuc. VIII, 22, 1) Clazomenios interfuisse ex Thycydidis verbis, quae l. l. § 2. exstant: ‚καὶ ὁ πεζὸς ἅμα Πελοποννησίων τε τῶν παρόντων καὶ „τῶν αὐτόθεν ξυμμάχων" παρῄει ἐπὶ Κλαζομενῶν τε καὶ Κύμης' coniecerim. Sed iam aestate eiusdem anni Clazomenae sub Atheniensium potestatem redactae sunt: cfr. Thuc. VIII, 23, 5 οἱ δ' Ἀθηναῖοι τά τ' ἐν Λέσβῳ πάλιν κατεστήσαντο καὶ πλεύσαντες ἐξ αὐτῆς Κλαζομενίων τὴν ἐν τῇ ἠπείρῳ Πολίχνην τειχιζομένην ἑλόντες διεκόμισαν πάλιν αὐτοὺς ἐς τὴν ἐν τῇ νήσῳ πόλιν, πλὴν τῶν αἰτίων τῆς ἀποστάσεως· οὗτοι δὲ ἐς Δαφνοῦντα ἀπῆλθον. καὶ αὖθις Κλαζομεναὶ προσεχώρησαν Ἀθηναίοις[38]). Polichne igitur expugnata, Clazomenii praeter eos[39]), qui ad defectionem sollicitaverant cives, in insulam redire coacti sunt; ita denuo ab Atheniensium par-

---

36) Haec Polichne Clazomenia bis tantum apud Thucydidem commemoratur, praeter hunc locum etiam in cap. 23. Praeter Thucydidem apud nullum scriptorem mentio fit huius oppidi. Etenim loci ab Hertleinio ad Thuc. l. collecti non ad Polichnen Clazomeniam sed Troicam spectant. Animadvertas quaeso, quam neglegenter ille hoc loco rem tractaverit; adnotat enim: ‚istos muros durasse ad Strabonis tempora probabile est, nam τειχήρες χωρίον vocat'. Quodsi locum Strabonis XIII p. 603, unde ille sua hausit, inspexeris, illa verba ad Troicam urbem pertinere statim intelleges.

37) cfr. Thuc. VIII, 31, 2 ἐσβολὴν ποιησάμενος τῇ πόλει, οὔσῃ ἀτειχίστῳ

38) vid. etiam Curt. II⁴ p. 686.

39) Hi Daphnuntem abiere.

tibus stabant. Iam vero, quamvis Lacedaemonii duce Astyocho hieme a. 412 eos iterum ab Atheniensibus abalienare cuperent, fortiter restiterunt. Cfr. Thuc. VIII, 31, 1 παρέπλευσεν (scil. Ἀστύοχος) ἐπὶ Κλαζομενάς, καὶ ἐκέλευεν αὐτῶν τοὺς τὰ Ἀθηναίων φρονοῦντας ἀνοικίζεσθαι ἐς τὸν Δαφνοῦντα καὶ προσχωρεῖν σφίσιν ... § 2. ὡς δ' οὐκ ἐσήκουον, ἐσβολὴν ποιησάμενος τῇ πόλει, οὔσῃ ἀτειχίστῳ, καὶ οὐ δυνάμενος ἑλεῖν, ἀπέπλευσεν. Urbs etsi immunita fuit, tamen impetum propulsavit. Itaque Astyochus, ut cladem ulcisceretur, partem navium in insulis, quas prope Clazomenas sitas Clazomenii obtinebant, reliquit, ut milites agros devastarent et quaecunque usui essent secum auferrent: cfr. Thuc. VIII, 31, 2 κατῆραν (scil. naves relictae) ἐς τὰς ἐπικειμένας ταῖς Κλαζομεναῖς νήσους Μαράθουσσαν καὶ Πήλην καὶ Δρυμοῦσσαν. Καὶ ὅσα ὑπεξέκειτο αὐτόθι τῶν Κλαζομενίων ἡμέρας ἐμμείναντες διὰ τοὺς ἀνέμους ὀκτὼ τὰ μὲν διήρπασαν καὶ ἀνάλωσαν, τὰ δ' ἐσβαλόμενοι ἀπέπλευσαν ἐς Φώκαιαν καὶ Κύμην ὡς Ἀστύοχον. Quousque Clazomenii in fide erga Athenienses perseverarint haud constat. Hoc tamen certo scimus eos usque ad a. 408 Atheniensium fuisse amicos. Alcibiades enim, qui anno 411 exeunte classis Atheniensium dux prope Sestum rem bene gesserat, cum Tissaphernem in Hellespontum profectum conveniret, quem salutaret cuiusque benevolentiam largitione sibi conservaret, ab eo captus et Sardibus in vincula datus est[40]). Qui cum triginta diebus post vere a. 410[41]) e Sardibus evasisset, nocte Clazomenas profugit indeque quinque navibus ad classem revertit[42]). Qua ex re si iam elucet Clazomenios ab Atheniensium partibus stetisse, eo certiores fimus loco Diodori, qui spectat ad a. 408; hoc enim l. XIII, 71, 1 scriptum videmus: διακελευσάμενος (scil. Ἀλκι-

---

40) cfr. Xenoph Hellen I, 1, 9.
41) cfr. Xen. Hell. I, 1, 11 et adnot Schneid. ad h. l.
42) Xen. Hell. l. l., Plut. Alc. cap. 27; cf. Grote IV p. 400.

βιάδης) δ' αὐτῷ (Ἀντιόχῳ) μὴ ναυμαχεῖν, ἕως ἂν αὐτὸς παραγένηται, τὰς στρατιώτιδας ναῦς ἀνέλαβε, καὶ κατὰ σπουδὴν ἔπλευσεν εἰς Κλαζομενάς· αὕτη γὰρ ἡ πόλις σύμμαχος Ἀθηναίων οὖσα κακῶς ἔπασχεν ὑπό τινων φυγάδων πορθουμένη. Quo ex loco praeterea apparet urbem Clazomeniorum ab exulibus vastatam esse; sed qui fuerint exules nec hoc loco nec alibi legimus; Kruegerus [43]) autem nescio an recte suspicatus sit fuisse eosdem, quibus a. 412 Daphnuntem secedendum fuisset.

A. 388 Lacedaemonii ut Artaxerxem, qui Atheniensibus omni modo opitulatus erat, a foedere cum Atheniensibus inito deflecterent Antalcidam crearunt classis imperatorem. Qui nihil antiquius habuit quam ut in Asiam transgressus cum Artaxerxe, qui iam ideo ad pacem propensus erat, quod omni ope Aegyptum et Cyprum petere volebat, de pacis condicionibus ageret. Quo factum est, ut a. 387 ab Antalcida pax omnibus Graecis tam contumeliosa componeretur [44]). Afferam ipsa verba pacis formulae, quae apud Xenophontem legitur in Hellen. V, 1, 31 Ἀρταξέρξης βασιλεὺς νομίζει δίκαιον τὰς μὲν ἐν τῇ Ἀσίᾳ πόλεις ἑαυτοῦ εἶναι, καὶ τῶν νήσων Κλαζομενὰς καὶ Κύπρον· τὰς δὲ ἄλλας Ἑλληνίδας πόλεις κτλ. [45]) Unde Clazomenas cum ceteris urbibus ionicis a. 387 in potestatem ditionemque Persarum redditas esse apparet, quorum sub imperio quin usque ad Alexandri Magni adventum fuerint nihil est cur dubitemus. Sed priusquam ad illa tempora transeam, certaminis faciam mentionem, quod a. 383 inter Clazomenios et Cymaeos de Leuca urbe exortum est. Postquam enim Glus, qui Persarum classi in expeditione contra Cyprum suscepta praefuerat nec multo post ab Artaxerxe defecerat, clam occisus eiusque successor

43) Comment. crit. et histor. de Thuc. Histor. parte postrema (subi. Dionys. Halic. Histor. Hal. Sax. 1823) p. 341.

44) Videas, quam acerbo eam perstrinxerit Isocrates or. XII, 106.

45) cfr. Diodor. XIV. 110, 3; Plut. Artax. cap. 21. cfr. etiam Curt III' 205; Droysen, Gesch. Alexand. d. Gr. p. 10.

Tachus paulo postquam Leucam condidit urbem, unde in Persarum regem bellum moveret, mortuus est, Clazomenii et Cymaei concertarunt, utra urbs Leucam occuparet. Sed afferam verba Diodori ipsa, quae exstant lib. XV, 18: *τὸ μὲν οὖν πρῶτον ἐπεχείρησαν αἱ πόλεις πολέμῳ διακρίνεσθαι, μετὰ δὲ ταῦτα εἰπόντος τινὸς ἐρωτῆσαι τὸν θεὸν ποτέραν τῶν πόλεων κρίνει κυρίαν εἶναι δεῖν τῆς Λεύκης, ἔκρινεν ἡ Πυθία ταύτην ὑπάρχειν ἥτις ἂν πρώτη θύσῃ ἐν τῇ Λεύκῃ· ὁρμηθῆναι δὲ ἐκ τῆς ἰδίας πόλεως ἅμ' ἡλίῳ ἀνιόντι κατὰ τὴν ἡμέραν ἣν ἀμφότεροι συμφώνως ὑποστήσονται. ταχθείσης δὲ τῆς ἡμέρας, οἱ μὲν Κυμαῖοι ὑπελάμβανον ἑαυτοὺς προέχειν διὰ τὸ τὴν αὐτῶν πόλιν ἐγγυτέρω κεῖσθαι, οἱ δὲ Κλαζομένιοι, διάστημα πλέον ἀπέχοντες, τεχνάζονταί τι τοιοῦτο πρὸς τὴν νίκην κληρώσαντες. ἐξ ἑαυτῶν ἀποίκους ἔκτισαν πλησίον τῆς Λεύκης πόλιν, ἐξ ἧς ὁρμηθέντες ἅμ' ἡλίῳ ἀνατέλλοντι ἔφθασαν τοὺς Κυμαίους τὴν θυσίαν ἐπιτελέσαντες. τούτῳ δὲ τῷ φιλοτεχνήματι γενόμενοι κύριοι τῆς Λεύκης, ἐπώνυμον ἑορτὴν ἄγειν κατ' ἐνιαυτὸν ἐνεστήσαντο, τὴν πανήγυριν ὀνομάσαντες Προφθασίαν*[46]) (*προφθάσια* Dindorf). *τούτων δὲ πραχθέντων αἱ μὲν κατὰ τὴν Ἀσίαν ἐπαναστάσεις αὐτομάτως κατελύθησαν.*

Anno 362 Orontes, qui ipse contra Artaxerxem II moverat seditionem, subito in eius partes transgressus satrapia ionica a rege donatus est[47]). Huc pertinent nonnulli nummi Clazomenii, quibus nomen ΟΡΟΝΤΑ incisum est[48]).

Alexander Magnus cum a. 334 Dario ad Granicum victo Sardes pervenisset, Clazomenae ceteraeque urbes ionicae libenter regi sese dediderunt; etenim iam dudum aegerrime iugum Persicum tulerant[49]). Qui cum per Ioniam profectus Ephesum

---

46) vid. C. Fr. Herm. Gottesd. Alterth. § 66 not. 15.
47) cfr. Diodor. XV, 91; Brandis Münzwesen p. 237.
48) cfr. Mionnet déscr. des méd. vol. III p. 68 nr. 65. Brandis l. c. p. 237. 428. H. Droysen Zeitschr. für Numism. II p. 312 sq. 318.
49) cfr. Droysen Gesch. Alex. p. 119.

venisset, inde Antimachum Agathoclis filium ad omnes urbes ionicas misit, ut aboleret nobilium, restitueret populi imperium, omnibus leges redderet patrias, tributum, quod barbaris solvissent, remitteret [50]). Quod ad tempus spectant nummi, in quibus nomen Alexandri et praeter Iovem atque Heraclem nomen magistratus velut ΕΥΘΥΔΑΜΑΣ exstat [51]). Etiam alio modo Macedonum rex urbibus ionicis optime consuluit. Smyrnam restitui [52]), Clazomeniorum insulam mole in mare proiecta continenti iussit adnecti. Praeterea Mimantem montem perfodi iussisse fertur, ut promontorium periculosum (ἄκραν Μέλαιναν) naves evitarent, quod opus propter loci difficultates perfici nequivit [53]). Antipater cum a. 319 mortuus non filio Cassandro sed Polysperchonti imperium tradidisset, Cassander cum Antigono, Polysperchon cum Eumene foedus icit. Cassander in Macedonia,

---

50) cfr. Arrian I, 18, 1—2; Droysen l. c. p. 121.

51) cfr. Mionnet déscr. des méd. vol. I p. 524 nr. 188.

52) cfr. Plin. h. n. V, 29 et Paus. VII, 5, 1. Forbiger autem (Handb. d. a. Geogr. II p. 182) Strabonis auctoritatem l. XIV p. 646 secutus Antigonum et Lysimachum fuisse conditores contendit. Alexandrum iam iussisse urbem restitui, sed a successoribus demum restitutam esse facilis est coniectura.

53) cfr. Paus. II, 1, 5 *Ἀλεξάνδρῳ . . „διασκάψαι Μίμαντα“ ἐθελήσαντι κ. τ. λ.* — Plin. h. n. V, 29 quo in loco Magnus Alexander intercidi planitiem eam iusserat VII MD p. longitudine, ut duos sinus iungeret Erythrasque cum Mimante circumfunderet. Quaeritur quo loco montem perfodere voluerint. Si verba Pausaniae *διασκάψαι Μίμαντα*, Plinii ‚mons Mimas . . . in continentibus campis residens. quo in loco etc.‘ porro Strabon. XIV p. 645 *μεταξὺ δὲ τῶν Ἐρυθρῶν καὶ τοῦ Ὑποκρήμνου — κεῖται δὲ* (Strab. XIV p. 644) *Ὑπόκρημνος ὁ τόπος ἐπὶ τῇ ἀρχῇ τοῦ ἰσθμοῦ, ἐντὸς μὲν ἀπολαμβάνων τὴν Ἐρυθραίων ἐκτὸς δὲ τὴν τῶν Κλαζομενίων — Μίμας ἐστὶν ὄρος ὑψηλὸν* diligenter contemplabimur, minime Droyseno (Gesch. Alex. p. 122) et Lamprechtio, qui eum secutus est (diss. d. reb. Erythr. p. 6 not. 8), assentiemur inde ab Clazomenis usque ad Teum fossam factam esse. Immo vero ego statuerim sinum Smyrnaeum cum Erythraeo (id quod censet Tournefort: Relat. d'un voyage du Levant Amsterd. 1718 vol. II p. 199) aut cum sinu meridionali iungi debuisse ita, ut fossa inde ab Hypocremno usque ad Chalcidensium agrum pertineret, quem isthmum quinquaginta stadia esse latum Strab. XIV p. 644 enarrat.

Antigonus in Asia victores discesserunt. Nec multo post Antigonus cum id ageret, ut summa rerum potiretur ideoque Demetrium filium contra Cassandrum mitteret ipseque in Asia fines in dies magis propagaret, reges Cassander, Ptolemaeus Lagi, Lysimachus, Seleucus foedere inito bellum ei intulerunt. Ab utraque parte inde ab a. 315 usque ad a. 311 vario Marte cum esset dimicatum, pacem fecerunt, qua singulorum imperia definita sunt; civitatibus graecis permiserunt, ut sui iuris essent: cfr. Diodor XIX, 105: *τοὺς δ' Ἕλληνας αὐτονόμους εἶναι.* Sed quam Antigonus ipse pacis condicionibus non paruerit, apparet ex Diodori libro XX, 19 [54]). Quo factum est, ut a. 309 bellum denuo exardesceret; primis annis reges pro se singuli cum Antigono dimicarunt. Cum autem Antigonus ita feliciter rem gereret, ut regibus ne omnia amitterent esset verendum, a. 302 quattuor reges novum inierunt foedus eo consilio, ut Antigoni potestatem prorsus delerent. Lysimachus igitur, cui Cassander partem exercitus duce Prepelao auxilio miserat, ex Hellesponto in Asiam minorem intravit. Prepelaus in ora maritima progredi iussus urbes deinceps seu vi seu sine armis in potestatem suam redegit; Clazomenas tantum et Erythras, quibus ex mari copiae Antigoni subvenerant, expugnare non potuit, agros autem devastavit. Cfr. Diodor. XX, 107 *μετὰ δὲ ταῦτα Τηίους μὲν καὶ Κολοφωνίους προσηγάγετο, Ἐρυθραίοις δὲ καὶ Κλαζομενίοις ἐλθούσης κατὰ θάλατταν βοηθείας τὰς μὲν πόλεις ἑλεῖν οὐκ ἠδυνήθη, τὴν δὲ χώραν αὐτῶν πορθήσας ἀνέζευξεν ἐπὶ Σάρδεις* [55]). Sequenti anno cum Antigonus ad Ipsum devictus ipse in proelio cecidisset, Ionia Lysimacho obtigit [56]).

Ad saeculi tertii a. Chr. n. spatium quod pertinet de Clazomenis earumque incolis nullum exstat testimonium. Postquam

---

54) cfr. Droysen Hellenismus I p. 401 sqq.
55) cfr. Droysen l. c. I p. 523.
56) cfr. Droysen l. c. I p. 548.

Lysimachus in bello cum Seleuco commisso cecidit, per varias vicissitudines sub Seleucidarum, Ptolemaeorum, Macedonum imperio videntur fuisse [57]).

A. 200 a. Chr. n. Romani, cum Attalus Pergamenus atque Rhodii ab iis peterent, ut sese a Philippo III Macedonum rege defenderent, occasionem reppererunt aptissimam sese Asiae rebus immiscendi [58]). Philippo ad Cynoscephalas a. 197 devicto, Romani in Antiochum III maxime ipsorum consiliis adversantem se converterunt. Quem ad Thermopylas a. 191 M. Acilius Glabrio, sequenti anno L. Cornelius Scipio ad Magnesiam in Sipylo sitam adeo vicerunt, ut pacem faceret turpissimam: Asia cis Taurum et Halyn in Romanorum possessionem transiit [59]). Iam vero quaeritur, quid de urbibus ionicis factum sit. Quarum pleraeque iam antea quam Romani cum Antiocho prope Magnesiam manus conseruerunt ad Romanorum societatem ultro accesserant [60]), quo factum est, ut in pace optimis uterentur condicionibus. Cfr. Polyb. XXII, 24, 4—5 Κολοφωνίους δὲ τοὺς τὸ Νότιον οἰκοῦντας καὶ Κυμαίους καὶ Μυλασεῖς ἀφορολογήτους ἀφῆκαν, Κλαζομενίοις δὲ καὶ δωρεὰν προσέθηκαν τὴν Δρυμοῦσσαν καλουμένην νῆσον et Liv. XXXVIII, 39, 7—10 „ . . . nominatim praeterea Colophoniis, qui in Notio habitant, et Cymaeis et Mylasenis immunitatem concesserunt, Clazomeniis super immunitatem et Drymussam insulam dono dederunt etc.;“ unde Clazomenios Romanorum studiosissimos fuisse apparet [61]).

In libro XXVIII, 16 disputat Polybius de multis legationibus, quae a. 169 a. Chr. n. in Aegyptum ad Antiochum IV

---

57) cfr. Mommsen Röm. Gesch. I⁴ p. 732.

58) cfr. R. Bergmann ‚De Asia Romanorum provincia' dissert. inaug. Berol. 1846 p. 8 not. 6.

59) vid. Bergm. l. c. p. 10.

60) Smyrna, Samos, Chios, Erythrae, Clazomenae, Phocaea aliaeque; cfr. Mommsen Röm. Gesch. I p. 744.

61) cfr. de pace Mommsen I p. 752.

venerunt, quem ut bello in Ptolemaeum suscepto desisteret orarent atque obsecrarent. Inter quas legationes etiam Clazomenia fuit, cui praefuerunt Apollonides et Apollonius: ἐκ δὲ Κλαζομενῶν (scil. παρῆσαν) Ἀπολλωνίδης καὶ Ἀπολλώνιος. Hi fortasse iidem sunt, qui in nummis Clazomeniis inveniuntur: vid. Mionn. déscr. des méd. etc. III, 64 nr. 18: ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ; p. 67, nr. 46: ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΗΣ.

Constat inter omnes regnum Pergamenum ex Attali Philometoris testamento a. 143 a. Chr. n. in Romanorum potestatem transisse. Aristonicus vero paternum regnum occupavit finesque paulatim propagavit, cum Romani propter seditionem Gracchanam in civitate sua retenti eum impedire nequirent. Sic factum est, ut mox Asia occidentali potiretur itemque urbes ionicas sibi conciliaret [62].

Mithridates VI initio saeculi a. Chr. n. primi cum id ageret, ut Romanis Asiam eriperet, urbes ionicae ad eum libenter accesserunt [63]. Quare Sulla a. 84 cum bello quattuor per annos gesto Mithridatem superasset, poenam de eis sumpsit acerbam. Cfr. Sullae or. ap. App. Mithr. 62 [64]. Sed iam eodem anno praedones Clazomenis aliisque urbibus potiti sunt: App. Mithr. 63 Ἰασός γέ τοι καὶ Σάμος καὶ Κλαζομεναὶ καὶ Σαμοθρᾴκη Σύλλα παρόντος ἐλήφθησαν.

Clazomenas annis proximis a praedonibus devastatas atque exinanitas esse pro certo habendum est; etenim Augustus in nummis Clazomeniis vocatur ΚΤΙΣΤΗΣ [65]), quod quidem verbum nihil aliud significare nisi Augustum restituisse urbem iam Tournefortius [66]) iure contendit. In iis quae de sequentium

---

62) cf. Sull. orat. ap. App. Mithr. 62 Ἀριστονίκῳ καθ' ἡμῶν τέτταρσιν ἔτεσιν συνεμαχεῖτε κτλ.

63) cfr. Mommsen R. G. II⁴ p. 288.

64) vid. praeterea App. Mithr. 61; Mommsen l. c p. 306.

65) vid. Mionn. déscr. d. m. III p. 70 nrr. 77 et 79; Suppl. VI p. 92 nr. 76.

66) Relat. d'un voyage du Levant (Amsterd. 1718) vol. II p. 199.

imperatorum temporibus scriptores tradunt, Clazomenarum mentio non fit; ex nummis tantum Clazomenios se satis bene habuisse ac praecipue Vespasiano, Tito, Domitiano regnantibus optima usos esse pace iure potest colligi. Ceterum magistratus ἄρχοντες aut — quod usitatius fuit — στρατηγοὶ vocabantur, velut sub Hadriano Athenagoras et Themistes; sub Sabina Themistes; sub Julia Domna Philo; sub Caracalla Anphilochus; sub Caracalla et Geta ΑΠΟΛΛΩ. (ΝΙΟΥ vel ΝΙΔΟΥ mihi supplendum videtur); sub Treboniano Gallo Caridemus; sub Valeriano seniore Dionysius; ex his ἄρχων fuit Caridemus (Mionn. III p. 74 nr. 100), ceteri στρατηγοί (Mionn. III pp. 72—74; suppl. VI p. 93).

Hoc loco inscriptiones tres, quae prope Clazomenas inventae sunt, liceat mihi addere [67]).

(vid. Boeckh corp. inscr. vol. II p. 689)

nr. 3130 Γερμανικῷ
Κυρ]είνᾳ vel Παλατ]είνᾳ Νεικόμαχος
ἀγωνοθε] τήσας καὶ γ[υ]μ[ν]ασιαρχήσας
τει]μὰς ἀ[ν]ιέρωσεν.

Dedicationem fuisse iure dicit Boeckhius. nr. 3131 ‚ad Clazomenas in saxo marmoreo'

Ἀγαθῇ τύχῃ,
Και[κ]? Μόντιον
τὸν λαμπρό =
τατον ἀνθύ =
πατον ἡ λαμ[πρὰ]
Κλα[ζο]μ[ενίων πόλις]

Hunc Montium esse eundem Montium, quem Libanius in vita Demosth. (cf. Βιογρ. ed. Westermann p. 293) κράτιστε ἀνθυπάτων Μόντιε alloquitur quemque Amm. Marc. XIV, 7, 12 Antiochiae quaestorem fuisse narrat (Demosth. ed. Dind.

67) Afferam eas cum Boeckhii supplementis.

vol. V p. 1 ad Liban. Prol.) conicere licet. nr. 3132 ,in columna marmorea. Locus, ubi haec columna cum statua dedicata erat, videtur fere ἄλσος Ἀλεξάνδρειον esse'

Πόπλιον Κλαύδιον Τιβερίο[υ] υἱόν, Παλ[α]τινείνα, Πολλίωνα, ἔπαρχον σπείρης πρώτης μειλια[ρί]ας Θρᾳκῶν, Τιβέριος Κλαύδιος Χάρμος Κλαζομένιος ἀρετῆς ἕνεκεν καὶ ἠθῶν ἐκ τῶν ἰδίων ἀνέθηκεν.

Julianus cum a. 360 p. Chr. n. imperium adipisceretur, undique legati ad eum venerunt: ἐνταῦθα καὶ οἱ τὴν Ἰωνίαν οἰκοῦντες ἔτυχον ὅσων ἐδεήθησαν, καὶ πλειόνων καὶ ἐλασσόνων. καὶ ἐκ Κλαζομενῶν δὲ Πείσων εὐδοκίμει λέγων. Ita Eunapius p. 46 ed. Niebuhr (Bonn 1829). Denique paucorum, ubi Byzantinorum temporibus Clazomenae commemorantur, locorum faciam mentionem. A. 1084 Alexio Comneno regnante Clazomenas a Tzacha Turco subiectas esse contendunt Chandlerus et Tournefortius[68]); statuerunt hoc nisi fallor propter locum Ephraemii (ed. Bekker Bonn 1840), quamquam Clazomenarum nomen ibi non invenitur; hi enim exstant apud eum versus (3520—3525):

Καὶ Τοῦρκος αὖθις Τζαχᾶς τις κεκλημένος,
Χίον κατασχὼν καὶ στόλον καταρτίσας,
αἱρεῖ Σάμον Λέσβον τε νήσους καὶ Ῥόδον
ἄλλας τε δεσποτείας. ἐξελήλαται
πάλιν Ῥωμαικῷ στόλῳ καὶ ναυμαχίᾳ.
ἀποστατεῖ δὲ τηνικαῦτα καὶ Κύπρος κτλ.

Praeterea bis Clazomenae commemorantur apud Cantacuzenum (circ. a. 1350) et apud Ducam, qui quinquaginta fere annos post illum vixit. Cantacuzenus histor. II, 30 (ed. Nieb. Bonn 1828 p. 483) refert, Amurium Atinis Ioniae satrapae filium

---

68) Chandler Voyages dans l'Asie Mineure et en Grèce. Paris 1806 (3 voll.) vol. I p. 131. — Tournefort Relat. d'un voy. du Levant tom. II p. 199.

cum domino suo Clazomenas convenisse, ut quomodo Imperatorem contra Romanos adiuvarent inter sese colloquerentur Ἀμοὺρ δὲ .. κατὰ τὰς Κλαζομενὰς γενόμενος συνεγένετο αὐτῷ κτλ. Apud Ducam (ed. Nieb. Bonn 1834) p. 175 (cap. XXVI) legimus fere haec: Cineiten Mustapham Homuris filium ex Atinis posteris persecutum esse: μαθὼν δὲ παρ' αὐτῶν (scil. τῶν Σμυρναίων) ὡς ὁ Μουσταφᾶς τοῦ Ἀτὴν ἐν Ἐφέσῳ καὶ Θυρέοις διάγει, αὐτὸς πρὸς τὰ ἐνδότερα, ὅπου εἰσὶ τὰ Βρύελα καὶ αἱ Ἐρυθραὶ Κλαζομεναί τε καὶ ἄλλα χωρία, εἰσῆλθεν. Quo ex loco Clazomenios seriore Byzantinorum aetate ab ora maritima recessisse et in terra interiore incoluisse vicum elucet. Cfr. Chandleri verba (Voyag. dans l'Asie Mineure etc.) vol. I p. 197–198.

Pars III.

De Topographia.

Sitae erant Clazomenae in ea Asiae minoris peninsula, quae in septentrionali parte Hermeo, in meridionali Geraestico sinu terminatur. Septentrionalem isthmi partem obtinebant Clazomenii, meridionalem Teii et occidentem versus finitimi Chalcidenses: cfr. Strabo XIV p. 644 ἐπ' αὐτῷ δὲ τῷ ἰσθμῷ Τήϊοι καὶ Κλαζομένιοι· τὸ μὲν γὰρ νότιον τοῦ ἰσθμοῦ πλευρὸν ἔχουσι Τήϊοι [πρὸς seu κατὰ suppl. cfr. Groskurd III § 31. not. 1.] τοὺς Χαλκιδέας, τὸ δὲ πρόσβορρον Κλαζομένιοι, καθ' ὃ συνάπτουσι τῇ Ἐρυθραίᾳ; Pomp. Mel. I, 89 ‚super angustias hinc Teos illinc Clazomenae, qua terga agunt confinio adnexae muri, diversis frontibus diversa maria prospectant'. Situm autem ut accuratius definiamus, hoc quidem animadvertendum est sinu Hermeo duos minores sinus effici, quorum alter, qui in occidentem versus iacet, nunc vocatur ‚sinus Scharpanicus', alter urbi Smyrnae propior ‚sinus Vourlaicus'; inter

utrumque colles sunt ardui et saxosi [1]). Quem prope sinum Vourlaicum Clazomenas sitas fuisse omnes viri docti consentiunt [2]). Abfuit urbs a Smyrna ducenta stadia [3]). Si alii velut Chandlerus [4]) suspicati sunt in eo loco, ubi hodie Vourla sita est, Clazomenas priscas fuisse, alii ut Forbigerus [5]) Kelisman viculum ibi exstructum esse, Chandlero ipsi iam ei, qui eius scripta verterunt, Servois et Barbié du Bocage [6]), cum dicerent ‚nous avons vu précédemment, que Strabo place Chytrium sur le bord de la mer' [7]) suo iure repugnarunt, Forbigeri autem sententiam, quia ex Pocockii verbis [8]) Kelisman viculum iam extra isthmum iacere nec ibi ulla urbis antiquae vestigia inveniri apparet, equidem falsam esse statuerim. Immo vero hoc mihi valde probabile videtur, urbem antiquam, quae posteaquam in insulam transierant incolae Chytrium vocabatur [9]), in litore ad occidentem versus haud procul a Vourla iacuisse. Quae sententia ea descriptione et explicatione, quam Prokesch-Osten

---

1) cfr. Pococke's Beschreibung des Morgenlandes ed. Breyer Erlang. 1792 pars III p. 60; Chandler Voyages dans l'Asie etc. I p. 198.

2) cfr. Pococke l. c.; Tournefort. l. l. tom. II p. 198—199; Chandler l. c. I p. 183; Prokesch-Osten Denkwürdigkeiten II, 163 ff. (librum ipsum inspicere non potui, sed Hoffmannus Griechenland und d. Griechen i. Alterth. II p. 1689 in adnot. verba, quae huc spectant, citavit); praecipue autem Prokesch-Osten Wiener Jahrbücher Bd. 59 1832, Anz. Bl. S. 10 ff., cuius ex disputatione A. Conzium v. cl. a me rogatum nonnulla excerpsisse vehementer gaudeo eique gratias ago quam plurimas. Vide etiam Forbig. Handb. d. a. Geogr. vol. II p. 183.

3) cfr. Forbig. l. c.; Chandl. l. c.

4) l. l. I p. 208.

5) l. c.

6) In adnot. 45 ad Chandl. l. c.

7) Vourla autem in interiore terra sita est: Chandl. I p. 198.

8) l. c. p. 59.

9) cfr. Strab. XIV p. 644 *Χύτριόν ἐστι τόπος, ὅπου πρότερον ἵδρυντο Κλαζομεναί.* Videas, quaeso quam falso Wachsmuth Alterthumsk I, 53 de situ Chytrii iudicarit; putat enim Chytrium in insula iacuisse. Ne dicam de Hoffmanni descriptione ‚Griechenl. etc.' II p. 1687, qui Clazomenios primum in continenti Chytrium condidisse contendit.

in ann. Vindob. protulit, optime confirmatur. Qui nave ad isthmum appulsa priusquam Vourlam pervenit in via multas invenit testas fictiles et, ut ipsius verbis utar, ‚die Kyklopische Ummauerung eines Tumulus' ipseque eas reliquias urbis antiquissimae esse vestigia putavit. Paulo post pugnam ad Mycalen factam Clazomenios Persarum metu in insulam transisse iam supra commemoravi. Nonnullos tamen eorum aut tum remansisse aut postea continentis urbem repetiisse et incolas fuisse veterrimos vici, cui *Χύτριον* nomen fuit, recte mihi iudicasse videtur Kruegerus [10]). Quid autem de Polichne iudicandum sit, quaeritur. Qui locus utrum iam belli Persici temporibus fuerit an posteaquam Clazomenii in insulam transgressi sint, ab his demum in continenti insulae ex adverso sit exstructus etsi certis argumentis diiudicari nequit, hoc tamen ex Thucydide [11]) scimus, Polichnen a. 412 a Clazomeniis munitam refugium iis et quasi arcem fuisse. Porro Alexandri iussu [12]) insulam mole in mare proiecta continenti adnexam esse tradunt nobis Plin. h. n. V, 29 „Alexander idem per duo stadia continenti adnecti iussit", et Paus. VII, 3, 9 *Ἀλέξανδρος δὲ ἀνὰ χρόνον ἔμελλεν ὁ Φιλίππου χερρόνησον Κλαζομενὰς ἐργάσεσθαι χώματι ἐς τὴν νῆσον ἐκ τῆς ἠπείρου* [13]). Iam vero quid obstat, quominus Clazomeniorum insulam cum eo continentis loco iunctam esse, qui eis praesidio esse poterat, statuamus? Agedum propius ad rem

---

10) Comm. crit. et hist. etc. p. 340.

11) l. VIII, 14, 3

12) Ap. Scylac. 98 (Geogr min. ed. Muell. vol. I), qui Philippi aetate floruit, aut vocem *νῆσος* excidisse aut — quod verisimilius est — eum errasse nobis statuendum erit. Quem eundem, quoniam Smyrnam urbibus adnumerarit, in errorem incidisse docet nos Strabo, qui l. XIV p. 646 Smyrnaeos urbe a Lydis deleta usque ad Alexandri vel potius successorum eius aetatem *κωμηδὸν* tantum in agro suo habitavisse enarrat.

13) cfr. Strab. I p. 58: *ἡ δὲ Φάρος ἡ κατ' Αἴγυπτον ἦν ποτε πελαγία. νῦν δὲ τρόπον τινὰ χερρόνησος γέγονεν, ὡς δὲ αὔτως Τύρος καὶ Κλαζομεναί*

accedamus. Quodsi cum Prokeschio [14]) iter persequemur, primum Vourlae planitiem attingemus indeque decem fere stadia in orientem profecti ad eum locum perveniemus, ubi moles cum continenti cohaeret; hoc quoque loco Prokeschius [15]) reliquias urbis antiquae invenit, quae Polichnen ibi quaerendam esse moverunt suspicionem. Certe ruinas, quae paulo ante Vourlam quaeque haud multo post Vourlam inveniuntur, ad duas pertinere urbes antiquas concedendum est. Praeterea locum Strabonis l. XIV p. 645 ἐκ δὲ τοῦ Ὑποκρήμνου Χύτριόν ἐστι τόπος, ὅπου πρότερον ἵδρυντο Κλαζομεναί· εἶθ' ἡ νῦν πόλις νησίον ἔχουσα προκείμενα ὀκτὼ γεωργούμενα· diligenter consideremus. Clazomenios haud multo post bellum Peloponnesiacum urbem muris circumdedisse [16]) et tum quidem urbe continenti adnexa mox etiam molem munivisse valde probabile est, Strabonis vero aetate munimenta [17]) iam dudum fuisse exstructa nemo non concedet. Sic quidem duae urbes et continentis et insulae quasi in unam formata esse videntur. Si igitur Strabo primum commemorat Chytrium, deinde (εἶθ' ἡ νῦν πόλις) urbem Clazomenas, tum lavacra, denique Smyrnam, Chytrium in fine molis iacere non potuisse ex usu eius dicendi apparet [18]). Quae cum ita sint, et ex Prokeschii descriptione et ex Strabonis ipsius verbis coniecerim Chytrium et urbem vel arcem in eo continentis loco sitam, ubi moles cum isthmo

---

14) Wien Jahrb. Bd. 59 Anz. Bl. S. 10 ff.

15) Wien. J. l. c.; Denkw. II p. 163 ff.

16) cfr. Prok.-Ost. Wien. J. l. c., qui putat murorum ruinas si non ad superiorem certe ad Alexandri aetatem spectare.

17) De his vide Chandl. I p 194; Prok.-Ost. Wien. Jahrb. l. c.

18) Hoc tenendum, quo modo Strabo hac in descriptione particula εἶτα usus sit. Quae ubi exstat, duo loci, qui disiunguntur, magis minusve inter se distant; certe illam hoc loco scriptorem non fuisse adhibiturum, si Chytr um mole cum Clazomenis c haesisset, mihi persuasi. Accedit, quod tum Strabo non processisset, sed recessisset, si Chytrium in mole iacuisset. Locus enim, ubi moles continenti adnectitur, plus ad orientem vergit quam insulae urbs. Prok. Denkw. II p. 163.

cohaeret, non locos fuisse eosdem. Itaque cum ex scriptoribus hoc tantum certo sciamus Chytrium et Polichnen in maris litore iacuisse, tum Chytrium in fine molis non fuisse situm viderimus, denique Polichnen munitam optime Clazomeniis praesidio esse potuisse consentaneum sit, quid est cur Polichnen in mole exstructam et insulae ex adverso fuisse sitam cum Prokeschio statuere dubitemus?

Porro quaeritur, quid de Daphnuntis situ, quo auctores defectionis a. 412 abierunt, statuendum sit. Recte quidem Kruegerus [19]) Schneideri sententiam Polichnen et Daphnuntem eundem fuisse locum refutavit. Disertis enim verbis Thuc. l. VIII c. 23 Clazomenios ab Atheniensibus victos Polichne in insulam reductos, auctores autem defectionis inde Daphnuntem profectos esse exponit. Nec magis Daphnuntem et Chytrium fuisse eundem locum statui debet; etenim si iam ex Thucydidis verbis l. VIII, 31 ἀνοικίζεσθαι ἐς τὸν Δαφνοῦντα Daphnuntem non in litore ipso iacuisse colligere licet, eo certiores fiemus, si Plinii et Strabonis verba comparaverimus. Strabonis enim aetate Chytrium in litore situm fuisse ex eo ipso discimus; de Daphnunte autem Plinius diserte haec refert h. n. V, 29: „interiere intus Daphnus“. Recte Kruegerus [20]) haud procul a Clazomenis iacuisse Daphnuntem ex Thucydide coniecit.

Insula ipsa, in qua Clazomenae fuerunt, nunc vocatur ‚San Giovanni' [21]) a continenti decem fere stadia remota [22]). Sed de munimentis, de theatro, de aedificiis cum veteres scriptores nihil tradiderint, ego quidem, si placet, veritus ne nimis legitimos excedat fines dissertatio, de urbis ruinis disserere super-

19) Comm. crit. et histor. etc. p. 341.

20) Histor. philol. Studien vol. II p. 197.

21) cfr. Prok. Denkw II p. 163; Wien. J. l. c.; Pococke l. c. part. III p. 59.

22) Chandl. I p. 193; quo de intervallo sententiae discedunt; Prok. Denkw. l. c dicit ‚240 Klafter', in ann. Vind. 220 tantum.

sedebo, praesertim cum quicunque urbem nostra aetate viderunt et de ea scripserunt, tam luculenter de illis disputarint [23]). Id unum tantum monuerim, apud Scylacem Peripl. 98 (Geogr. min. ed. Muell.) portum Clazomeniorum commemorari, quem in septentrionali insulae parte situm et Chandlerus et Prokesch-Osten viderunt. Quod ad regionem, agri fertilitatem, animalia, plantas attinet, lectorem ad librum Tchihatchefii [24]) delegatum velim, qui de omnibus his rebus diligenter disseruit. De vino Clazomenio apud Plinium haec exstant h. n. XIV, 7: „nunc gratia ante omnia est Clazomenio (scil. vino), postquam parcius mari condiunt.“

Iam vero, si libet, agrum Clazomeniorum Strabonis enarrationem secuti ab occasu solis ad orientem permigrabimus. Viam ingredimur ab Hypocremno [25]) in sinu Scharpanico sito, ubi ager Clazomenius confinis est Erythraeo; utrius viculus fuerit ego nescio. Ἐκ δὲ τοῦ Ὑποκρήμνου Χύτριόν ἐστι τόπος, quo de loco iam supra disputavi. Cuius vici inter incolas et Clazomenios de sedibus interdum ortas esse seditiones dicit Aristot. in Polit. libr. V, 2, 12 (ed. Goettl.) στασιάζουσι δὲ ἐνίοτε αἱ πόλεις καὶ διὰ τοὺς τόπους, ὅταν μὴ εὐφυῶς ἔχῃ ἡ χώρα πρὸς τὸ μίαν εἶναι πόλιν, οἷον ἐν Κλαζομεναῖς οἱ ἐπὶ Χύτρῳ [26]) πρὸς τοὺς ἐν νήσῳ, καὶ Κολοφώνιοι καὶ Νοτιεῖς.

---

23) cfr. praecipue Chandl. et Prok. ll. ll.

24) Liber inscribitur ‚Une Page sur L'Orient' ed. à Paris 1868; vid. praecipue pagg. 47–52; 91 sqq.

25) De Hypocremno vid. Forbig. l. l. II p. 183 not. 93; imprimis Groskurd vol. III p. 24, unde apparet hodie viculum vocari Sarpan i. e. locum asperum et arduum.

26) Hunc locum eundem esse ac *Χύτριον* Strabonis elucet; unde orta mihi esse videtur insularum significatio proxima um ‚Chytrophoria', qua Plinius h. n. V, 29 utitur. Sed *Χυτὸν*, de quo cfr. Ephor. ap. Steph. Byz.: *οἱ δ' ἐκ Κλαζομενῶν κατῴκισαν τῆς ἠπείρου τὸ Χυτὸν καλούμενον. ἐθνικὸν Χυτίτης*, alterum in Clazomeniorum agro fuisse locum eo verisimilius est, quod ethnicon *Χυτίτης* a ceteris formis derivari nequit. Certius aliquid statui non poterit, cum nullo alio loco nomina illa exstent.

Chytrio relicto pervenimus ad urbem Clazomeniorum ipsam, inde ad Apollinis templum [27]), cuius ruinas esse easdem, quas ipse cum Smyrna Clazomenas proficisceretur viderit, Chandlerus [28]) probabile putat. Octo fere stadia ab Apollinis templo remota [29]) inveniuntur *θερμὰ ὕδατα*, a Strabone lib. XIV p. 645 commemorata, quae quadraginta fere stadia ab urbe Smyrna distare Chandlerus [30]) affirmat. Etenim ad eadem spectant verba Philostrati in Heroic. c. II, 18 p. 691 Olear. (p. 300 in Kayseri editione) *καὶ λουτρὰ τοῖς τετρωμένοις μαντευτὰ ἐγένετο, πηγαὶ θερμαὶ ἐν Ἰωνίᾳ, ἃς ἔτι καὶ νῦν Ἀγαμεμνονείους καλοῦσιν οἱ Σμύρναν οἰκοῦντες. ἀπέχουσι δέ, οἶμαι, τετταράκοντα στάδια τοῦ ἄστεος καὶ ἀνῆπτό ποτε αὐτοῖς αἰχμάλωτα κράνη Μύσια;* quam eandem narrationem de his thermis Agamemnoniis legimus in epigrammate Agathiae 66 (ed. Niebuhr Bonn 1828; Anthol. Pal. IX, 631):

Χῶρος ἐγὼ Δαναοῖς μεμελημένος, ἔνθα μολόντες
τῆς Ποδαλειρείης ἐξελάθοντο τέχνης.
ἕλκεα γὰρ μετὰ δῆριν ἐμοῖς ἀκέσαντο ῥεέθροις
βαρβαρικῆς λόγχης ἰὸν ἀπωσάμενοι.
ἔνθεν ἀεξήθην ὀροφηφόρος· ἀντὶ δὲ τιμῆς
τὴν Ἀγαμεμνονέην εὗρον ἐπωνυμίην.

Pausanias quoque VII, 5, 12 de iisdem agere videtur, cum dicat *Κλαζομενίοις δὲ λουτρά ἐστιν, ἐν δὲ αὐτοῖς Ἀγαμέμνων ἔχει τιμάς, καὶ ἄντρον μητρός σφισι Πύρρου καλούμενον, καὶ λόγον ἐπὶ τῷ Πύρρῳ λέγουσι τῷ ποιμένι;* quod antrum Chandlerus (l. c. I p. 194) et Prokeschius (ann. Vindob. l. l.) in occidentali insulae ‚San Giovanni' parte viderunt. Ad agrum Clazomeniorum pertinent etiam quae de sue alato Artemo ap. Ael. d. n. a. XII, 38 narrat: *ἀκούω δὲ καὶ ἐν Κλαζομεναῖς*

---

27) cfr. Strab. XIV p. 645 *εἶθ' ἱερὸν Ἀπόλλωνος* ...
28) l. c. I p. 186.
29) cfr. Pococke part III p 61.
30) l. c. vol. I p. 186.

σῦν γενέσθαι πτηνόν, ἥπερ οὖν ἐλυμαίνετο τὴν χώραν τὴν Κλαζομενίαν· καὶ λέγει τοῦτο Ἀρτέμων ἐν τοῖς Ὅροις (Ὥροις recte emend. C. Mueller frgg. hist. graec. vol. IV p. 341) τοῖς Κλαζομενίων. ἔνθεν τοι καὶ χῶρος ἐκεῖ κέκληται ὑὸς πτερωτῆς ὀνομαζόμενός τε καὶ ᾀδόμενος. Permultos Clazomeniorum nummos habemus, qui aprum alatum exhibent: cfr. Mionn. III, 63 nrr. 9, 10; p. 64 nrr. 12, 13 et all.; Brandis Münzw. pagg. 188, 237.

Leuca vel Leucae urbs, qua quo modo Clazomenii potirentur iam supra ostendi, in sinu Smyrnaeo inter Smyrnam et Phocaeam sita fuit: cfr. Diodor. XV, 18 καὶ πόλιν ἔκτισε πλησίον τῆς θαλάττης ἐπί τινος κρημνοῦ τὴν ὀνομαζομένην Λεύκην; Plin. h. n. V, 29 ‚fuit in ore eius (scil. Hermi) oppidum Leucae in promontorio quod insula fuit'; Pomp. Mel. I, 89 ‚in sinu Smyrnaeo et Thermodon amnis et urbs Leuca'.

Nec fontibus caruit ager Clazomenius [31]). Vitruvius enim l. VIII, 3, 14, ubi de proprietatibus singulorum fontium disserit, haec profert. „Sunt . . inque agris Clazomeniorum — — fontes ac flumina, cum pecora suis temporibus anni parantur ad conceptionem partus, per id tempus adiguntur eo quotidie potum, ex eoque, quamvis sint alba, procreant aliis locis leucophaea, aliis locis pulla, aliis coracino colore." Eodem pertinet quod Isigonus Nicaeensis (frgg. hist. graec. Muell. tom. IV p. 436, 9) de fonte Clazomenio scripsit: κρήνη ἐν Κλαζομεναῖς, ἀφ' ἧς τὰ θρέμματα πίνοντα τὴν ἐρέαν χρωματίνην ποιεῖ, ὡς ἱστορεῖ ὁ προειρημένος Ἰσίγονος.

De luco Alexandro dedicato, qui inter Hypocremnum et Chalcidensium fines fuit, Strabo XIV p. 644 haec profert: ὑπέρκειται δὲ τῶν Χαλκιδέων ἄλσος καθιερωμένον Ἀλεξάνδρῳ τῷ Φιλίππου, καὶ ἀγὼν ὑπὸ τοῦ κοινοῦ τῶν Ἰώνων Ἀλεξάνδρεια

---

31) cfr. Chandl. l. c. I p. 187.

καταγγέλλεται, συντελούμενος ἐνταῦθα. Celebrabantur enim hi ludi in Alexandri honorem ut liberatoris [32]).

De Daphnunte iam supra dixi; ceteri, quorum mentio fit, in agro Clazomenio loci sunt hi:

Σκυφία. v. Ephor. ap. St. Byz. s. h. v. „πολίχνιον Κλαζομενίων“. Marxius in Ephori fragmentis 35 Σκυφίαν et Σκύππιον. quod Pausan. VII, 3, 8 commemorat, eundem fuisse locum suspicatus est; pro certo hoc habet Raoul-Rochette (colon. Grecq. tom. III p. 93), cui assentior.

Λάμψος, v. Ephor. ap. St. Byz. „μοῖρα τῆς Κλαζομενίων χώρας ἀπὸ Λάμψου παιδὸς Κοδρίδου“.

Σιδοῦς, v. Steph. Byz. s. h. v. „ἔστι καὶ περὶ Κλαζομενὰς κώμη“ [33]).

Κῶνος, v. Hesych. s. h. v. „τόπος ἐν Κλαζομεναῖς“.

Μαμαγκία, v. Hesych. s. h. v. „ἐν Κλαζομεναῖς τόπος“.

Si Forbigerus (Handb. d. a. Geogr. II p. 183 not. 93) putat locum cui Καρίδες nomen fuit, quem Ephor. ap. Athen. III p. 105D περί Χίον τὴν νῆσον iacuisse dicat, etiam in agro Clazomenio fuisse, hoc valde incertum est. Multo verisimilius mihi videtur Καρίδες in occidentali agri Erythraei parte situm fuisse [34]).

Restat, ut de insulis dicam, quae urbi obiectae in Clazomeniorum possessione fuerunt. Ap. Strab. legimus l. XIV p. 644 εἶθ' ἡ νῦν πόλις νησία ἔχουσα προκείμενα ὀκτὼ γεωργούμενα· sed cum Pocockius et Chandlerus et Prokeschius sex tantum insulas Clazomeniorum insulae obiacere viderint aut oram maritimam paulatim immutatam esse aut Strabonem errasse statuemus. Quinque vero insularum scimus nomina. Quae Clazomenis proximae fuerunt, commemorat Plin. h. n. V, 29

32) cfr. Droysen Gesch. Alex. p. 122.

33) cfr. dissert. part. II not. 34.

34) Pape (Wörterb. d. griech. Eig. s. v. *Καρίς*) hunc locum in insula Chio ipsa iacuisse putat; sed tum quidem scriptorem praepositione περὶ vix usum fuisse arbitror.

„Clazomenae, Parthenie et Hippi, Chytrophoria appellatae, cum insulae essent". Parthenie et Hippi hoc tantum loco nobis occurrunt [35]). Tres ceterae commemorantur ap. Thucyd. VIII, 31, 2 ἐς τὰς ἐπικειμένας ταῖς Κλαζομεναῖς νήσους Μαράθουσσαν καὶ Πήλην καὶ Δρυμοῦσσαν. Quas fuisse Clazomeniorum iam ex loco ipso Thucydideo apparet; pergit enim scriptor καὶ ὅσα ὑπεξέκειτο αὐτόθι τῶν Κλαζομενίων κτλ. Praeterea ex eo ordine, quo ap. Thuc. enumeratas habemus insulas, Drymussam longissime a Clazomenis fuisse remotam Pocockius et Prokeschius [36]) probabiliter coniecerunt. Pele, Drymusa, Marathusa commemorantur etiam a Plinio h. n. V, 31 (38). Cfr. praeterea St. Byz. s. v. Μαράθουσσα (id habent libri; Μαράθουσα Meineke edidit): νῆσος πρὸς Κλαζομεναῖς. ὁ πολίτης Μαραθούσιος. s. v. Πήλη: μικρὰ νῆσος. τὸ ἐθνικὸν Πηλαῖος. Plin. XXXII, 2 (9) „Nec illa in novissimis mira, amaros esse pisces ad Pelen insulam et ad Clazomenas". St. Byz. s. v. Δρυμοῦσσα: νῆσος Ἰωνίας, Θουκυδίδης ὀγδόῃ. τὸ ἐθνικὸν Δρυμουσσαῖος. Polyb. XXII, 24, 5 τὴν Δρυμοῦσσαν καλουμένην νῆσον. Liv. XXXVIII, 39 „et Drymussam insulam dono dederunt". E quibus insulis sola Drymussa etiamnunc priscorum murorum vel aedificiorum praebet vestigia. Qua de re vid. Prok.-Ost. Wien. J. l. c.; nomina, quae nunc habent insulae, attulit Pococke l. l. pag. 60—61.

---

35) vid. etiam Forbig. l. c. II, 183.
36) Pococke l. c. p. 61; Prok.-Ost. Wien. J. l. l.

Pars IV.

De Antiquitatibus.

§ 1. De rebus publicis.

De universa Clazomenarum gubernatione paene nihil scimus. Etenim antiquissimis temporibus reges ex Codri genere regnasse[1]), postea autem, cum septimo a. Chr. n. saeculo populus illorum imperium detrectare coepisset, aut aesymnetas aut tyrannos ad gubernacula reipublicae sedisse[2]) coniectura tantum possumus assequi. Ex quo Persis ab Atheniensibus ad Mycalen devictis Clazomenii in Atheniensium societatem recepti erant, longe plurimum valuisse populi imperium atque rempublicam ex populi voluntate administratam esse iam ideo pro certo affirmari potest, quod Athenienses ut ubique populi instituerent imperium studebant, praeterea autem scriptorum testimoniis probatur. Namque si ap. Thuc. VIII. 23 et 31 legitur Clazomenios, postquam auctores defectionis (i. e. Lacedaemoniis dediti) Daphnuntem abissent, in insulam reversos Lacedaemoniorum copiis omnibus viribus intentis egregie restitisse, etiam hac ex re populum longe potentiorem fuisse nobilitate iure conici posse puto. Accedit locus Pseudo-Aristotelicus in oecon. II p. 1348^{b} 17, sive liber circa a. 300 sive postea conscriptus est[3]), unde populi decreto difficili reipublicae tempore periculorum medicinam repertam esse apparet; haec enim ibi exstant: Κλαζομένιοι δ' ἐν σιτοδείᾳ ὄντες χρημάτων τε ἀποροῦντες ἐψηφίσαντο, παρ' οἷς ἔλαιόν ἐστι τῶν ἰδιωτῶν, δανεῖσαι τῇ πόλει ἐπὶ τόκῳ· γίνεται δὲ πολὺς οὗτος ὁ καρπὸς ἐν τῇ χώρᾳ αὐτῶν. δανει-

---

1) cfr. St. Byz. s. v. *Λάμψος*; praeterea Schoemann Gr. Alt. I³ p. 127.

2) v. Schoem. l. c. pagg. 166—174; Curt. Gr. Gesch. I⁴ p. 226.

3) cfr. Valent. Rose de Aristot. libr. ord. et auct. comm. Berol. 1854 p. 60.

σάντων δὲ μισθωσάμενοι πλοῖα ἀπέστειλαν εἰς τὰ ἐμπορεῖα, ὅθεν αὐτοῖς ἧκε σῖτος ὑποθήκης γενομένης τῆς τοῦ ἐλαίου τιμῆς. ὀφείλοντες στρατιώταις μισθὸν εἴκοσι τάλαντα, καὶ οὐ δυνάμενοι, τόκον ἔφερον τοῖς ἡγεμόσι τέτταρα τάλαντα τοῦ ἐνιαυτοῦ. ἐπεὶ δὲ τοῦ μὲν ἀρχαίου ἀπέκοπτον οὐδέν, ἀεὶ δὲ μάτην ἐδαπάνων, νόμισμα ἔκοψαν σιδηροῦν εἰς ἀργυρίου λόγον εἴκοσι ταλάντων, εἶτα διδόντες τοῖς εὐπορωτάτοις ἐν τῇ πόλει κατὰ λόγον ἑκάστῳ ἀργύριον παρ᾽ ἐκείνων ἔλαβον ἴσον. οἵ τε οὖν ἰδιῶται εἶχον εἰς τὰς καθ᾽ ἡμέραν χρείας ἀναλίσκειν, καὶ ἡ πόλις τοῦ χρέους ἀπηλλάγη. δεύτερον δ᾽ ἐκ τῶν προσόδων ἐκείνοις τόν τε τόκον κατέφερον, αἰεί τε διαιροῦντες ἑκάστῳ πρὸς μέρος διεδίδοσαν, τοὺς δὲ σιδηροῦς ἐκομίζοντο.

Afferre mihi liceat hoc loco pauca de nummis Clazomeniis. Clazomenae inter eas fuere civitates, quae iam primo tempore nummos signarunt [4]. Usque ad Darii regnum apud Clazomenios invenimus argentum, electrum, aurum signatum, inde usque ad Alexandri aetatem aurum et praecipue quidem aes, post Alexandrum rursus argentum et aurum [5]. Etiam eo tempore, quod inter Darii et Alexandri regnum interiectum est, nummi argentei a Clazomeniis cusi sunt, nec ab iis solis sed simul cum aliis civitatibus velut cum Samo, Abydo, Dardano [6], Chio [7] et aliis. Etiam nomen Orontis Persarum satrapae in nummis inveniri, praeterea Alexandri temporibus nummos huius nomine insignitos esse iam supra demonstravi [8]. Clazomenios paulisper in summis rerum difficultatibus versatos esse ex loco Aristotelico, quem modo citavi, elucet, quae fuit causa, cur tum etiam ferrea uterentur pecunia. Nummi sub Imperatoribus Romanis cusi paene omnes sunt aenei. De his vide dissert. pp. 18 et 19.

---

4) cfr. Brandis Münzw. p. 105.
5) Brandis l. c. pp. 106, 175, 288, 324.
6) Brand. p. 324.
7) cfr. Mionn l. c. III p. 64 nr. 16.
8) cfr. dissert. p. 14 not. 48 et p. 15 not. 51.

§ 2. De coloniis.

De Abdera.

Clazomenii rerum navalium studiosi colonias in diversas regiones miserunt. Ac primum quidem de Abdera agam. Hac de urbe Herodotus I, 168 haec profert παραπλήσια δὲ τούτοισι (scil. Φωκαιέσιν) καὶ Τήϊοι ἐποίησαν. ἐπεί τε γὰρ σφεων εἷλε χώματι τὸ τεῖχος Ἅρπαγος, ἐσβάντες πάντες ἐς τὰ πλοῖα, οἴχοντο πλέοντες ἐπὶ τῆς Θρηΐκης καὶ ἐνταῦθα ἔκτισαν πόλιν Ἄβδηρα· τὴν πρότερος τούτων Κλαζομένιος Τιμήσιος [1]) κτίσας οὐκ ἀπώνητο, ἀλλ' ὑπὸ Θρηΐκων ἐξελασθεὶς τιμὰς νῦν ὑπὸ Τηΐων τῶν ἐν Ἀβδήροισι ὡς ἥρως ἔχει. Quando et a quo omnino urbs condita sit sententiae scriptorem parum consentiunt [2]). Utcumque se res habet, hoc tamen ex nomine ipso עברדה [3]) probabiliter conicere poterimus Phoenices iam ante Timesium Clazomenium ibi domicilia constituisse, cui opinioni Herodoti verba πρότερος τούτων κτλ. minime repugnant. Quodsi illud statuemus Clazomenios non primos fuisse, qui condiderint urbem, optime quadrabunt Solini verba X, 10 „hanc Abderam olympiade prima et tricesima senio conlapsam Clazomenii ex Asia ad maiorem faciem restitutam, oblitteratis, quae praecesserant, nomini suo vindicaverunt". Quo ex Solini loco praeterea vide-

---

1) Qui fueritne idem atque *Τιμησίας*, qui ap. Plut. ‚reip. ger. praec.' p. 812 A et ‚de amic. mult.' p. 96 B commemoratur, quemque quamvis bonum tamen omnibus in invidiam adductum sua sponte in exilium abisse Ael. v. h. XII, 9 refert, incertum est. Vid. de hac re Wyttenb. Animadv. ad Plut. Mor. 1 p. 655–656.

2) Abderam Diomedis sororem condidisse urbem narrant Pomp. Mel. II, 2, 29 et Solin. X, 10 (Mommsen); Abderum conditorem fuisse tradunt Strabo VII p. 331 frgg. 44; 47; Scymn. Chius vs. 667; Hellan. ap. St. Byz. s. h. v. — Cfr. Pape Gr. Eig. s. hh. vv.

3) Alterum עברדה in Hispania situm a Phoenicibus conditum esse nomenque accepisse nemo non concedet. Cfr. Gesen. monum. ling. Phoenic. tab. 41. XVII p. 310 sq.; Movers d. Phönic. II, 633; Levy, Phön. Wörterb. p. 36. v. 9. Adde Curt. Gr. Gesch. I^4 p. 568.

mus Timesium ol. 31 Abderam abisse, accuratius auctore Eusebio ol. 31, 2 i. e. a. 655 a. Chr. n. Cfr. C. Fr. Herm. Allg Schulz. 1830 Nr. 63 p. 509.

De Cardia.

Eodem fere tempore, quo Timesius Abderam profectus est, Clazomenii una cum Milesiis Cardiam condiderunt: cfr. Strab. VII p. 331 fr. 52 ἑκατέρωθεν δ' ἐπὶ μὲν τῷ Μέλανι κόλπῳ Καρδία κεῖται μεγίστη τῶν ἐν τῇ Χερρονήσῳ πόλεων, Μιλησίων καὶ Κλαζομενίων κτίσμα, ὕστερον δὲ καὶ Ἀθηναίων· porro Scymn. Ch. vss. 698–702:

Ἡ Θρᾳκία δὲ χερρόνησος ἐχομένη
κεῖται, καθ' ἣν πόλις ἐστὶ πρώτη Καρδία
ἀρχὴν μὲν ὑπὸ Μιλησίων κτισθεῖσα καὶ
Κλαζομενίων, πάλιν δ' Ἀθηναίων ὕπο,
ὅτε Μιλτιάδης ἐκράτησε Χερρονησίων.

Primum igitur Cardia a Milesiis et Clazomeniis condita est, postea ab Atheniensibus duce Miltiade Cypseli filio occupata, quod factum est fere a. 560 [4]) non 630, ut falso Rambachius „de Mileto" p. 61 contendit. Sitam fuisse Cardiam in Chersonesi Thraciae occidentali parte notum est: cf. Strab. l. VII p. 331 fr. 52: ἑκατέρωθεν δ' ἐπὶ μὲν τῷ Μέλανι κόλπῳ Καρδία κεῖται ... ἐν δὲ τῇ Προποντίδι Πακτύη. Pomp. Mel. II, 2, 27 (Parthey) „et ex fluvio quem accipit Melas dictus duas urbes amplectitur, Alopeconnesum et in altero Isthmi litore sitam Cardiam". Nec vero cum meum esse possit de eis, quae posteriore tempore urbi acciderunt, planius ac copiosius disserere, lectores adeant velim Rambach. „de Mileto" p. 61 et Baehr. ad Herod. loc. VI, 33.

De Speculis Clazomeniorum ad Maeotin paludem.

Porro Strabo commemorat speculas Clazomeniorum in

---

4) cfr. Baehr ad Her. l. VI, 34.

orientali Maeotis paludis parte sitas l. XI p. 494 ἐν δὲ τῷ παράπλῳ τούτῳ καὶ σκοπαί τινες λέγονται Κλαζομενίων. Qui παράπλους inde a Tanae flumine usque ad Pontum Euxinum pertinet ἐν ᾧ (Strab. p. 493) τὰ πλεῖστα ἁλιεύματα τῶν εἰς ταριχείας ἰχθύων. Videmus igitur Clazomenios cum Maeotis — sic enim appellat Strabo l. c. totius regionis incolas — mercaturam fecisse ipsosque ibi piscatum exercuisse [5]). Hic enim thynnorum piscatus quanti fuerit momenti inde apparet, quod thynnus persaepe in nummis urbium diversissimarum iam antiquissimis invenitur velut Clazomenis, Sami, Chii, Lampsaci et alibi [6]).

De Naucrati.

„Naucratis, quae ad Saiticum nomum pertinuit, in orientali ripa Canopici fluvii, qui haud procul inde mari iungitur, erat sita. Nec multum remotus ille locus, ubi post fuit condita Alexandria" (Baehr ad Her. l. II, 178). Multum ac saepe viri docti inter sese certarunt, quando et a quo urbs esset condita et quo tempore Graeci ibi consedissent. Postquam quidquid illi [7]) de hac re scripserunt diligenter examinavi, hoc quidem mihi persuasi Naucratim ab Aegyptiis ipsis exstructam primum Psammeticho regnante Milesiis tantum concessam esse, deinde Amasidis temporibus omnibus Graecis. Amasi regnante (a. 570) undique Graeci eo confluxere, quo factum est, ut Naucratis omnium urbium fieret paene florentissima. Qua in urbe fuit Hellenium, commune novem, inter quas fuerunt Clazomenae, civitatum emporium, ubi hae non sacris tantum interesse sed

---

5) cfr. Curt. Gr. Gesch. I⁴ p. 399.

6) cfr. Brand. Münzw. p. 188; numm. Clazom. ap. Mionn. Suppl VI p. 84 nrr. 21, 22; p. 85 nrr. 28, 29 et all.

7) copiosissime Soldan Rh. Mus. IV p. 126; tum Lehnert d. foed. i. p. 44; Curt. Gr. G. I⁴ p. 407; Grote Gr. G. II p. 256; Baehr ad Her. l. II, 178 et 179.

res quoque mercatorias inter sese ordinare solebant: cfr. Her. II, 178 τὸ μέν νυν μέγιστον αὐτῶν τέμενος καὶ οὐνομαστότατον ἐὸν καὶ χρησιμώτατον, καλεύμενον δὲ Ἑλλήνιον, αἵδε πόλιές εἰσι αἱ ἱδρυμέναι κοινῇ, Ἰώνων μὲν Χίος καὶ Τέως, καὶ Φώκαια καὶ Κλαζομεναί κτλ. De praefectis mercatorum, quos Herod. l. l. προστάτας τοῦ ἐμπορίου vocat cfr. Baehr ad. Her. l.

Restat, ut commemorem coloniam a. 383 a. Chr. n. a Clazomeniis in urbem quandam prope Leucam sitam missam esse, cfr. Diodor. XV c. 18 κληρώσαντες ἐξ ἑαυτῶν ἀποίκους ἔκτισαν πλησίον τῆς Λεύκης πόλιν; de cuius urbis nomine nihil scimus.

§ 3. De rebus sacris.

De Panionio, cui festo omnes Jones intererant, iam supra [1]) dixi; sicut etiam de festo in Alexandri honorem celebrato vid. dissert. p. 29 not. 32. Restat, ut eorum festorum, quibus nomina sunt Ἀπατούρια et Πρυφθασία, mentionem faciam. De Apaturiis cfr. Her. I, 147 εἰσὶ δὲ πάντες Ἴωνες, ὅσοι ἀπ' Ἀθηνῶν γεγόνασι καὶ Ἀπατούρια ἄγουσι ὁρτήν. ἄγουσι δὲ πάντες πλὴν Ἐφεσίων καὶ Κολοφωνίων· οὗτοι γὰρ μοῦνοι Ἰώνων οὐκ ἄγουσι Ἀπατούρια, καὶ οὗτοι κατὰ φόνου τινὰ σκῆψιν. De festo ipso copiose disserere non est huius loci.

Quod attinet ad festum, cui nomen est Προφθασία, unius Diodori verbis, quae iam supra [2]) laudavi, niti possumus l. XV, 18 τούτῳ δὲ τῷ φιλοτεχνήματι γενόμενοι κύριοι τῆς Λεύκης, ἐπώνυμον ἑορτὴν ἄγειν κατ' ἐνιαυτὸν ἐνεστήσαντο τὴν πανήγυριν ὀνομάσαντες Προφθασίαν; festum igitur quotannis in Apollinis honorem celebrabatur; et fuit Leucae templum Apollini sacrum [3]). Clazomenios ludis quoque Graecorum celeberri-

1) cfr. dissert. p. 5.
2) vid. dissert. p. 14.
3) cfr. Diod. XV, 18, 1 Λεύκην, ἔχουσαν ἱερὸν ἅγιον Ἀπόλλωνος.

mis interfuisse ex Pausania videmus, qui l. VI, 17, 2 Herodoto Clazomenio Olympia victori a civibus statuam esse exstructam narrat; haec enim ibi exstant verba: Κλαζομενίου δὲ Ἡροδότου . . . ἀνέθεσαν τὰς εἰκόνας αἱ πόλεις, Κλαζομένιοι μὲν ὅτι ἐν Ὀλυμπίᾳ Κλαζομενίων πρῶτος ἀνηγορεύθη νικῶν Ἡρόδοτος. ἡ δέ οἱ νίκη σταδίου γέγονεν ἐν παισί. Omnium deorum Apollinem maxime Clazomenii coluerunt, cui prope urbem templum fuisse aedificatum iam in topographia exposui. Etiam in nummis hunc deum saepissime invenimus: cfr. Mionn. III p. 63, 8; 64, nrr. 16, 17; Suppl. VI p. 83, 16; 86, 38 etc.; praeterea in nummis exstant Minerva, Iuppiter, Hercules, Diana, Aesculapius, Medusa, Mars, Cybele, Ceres, Sol, Hesperus, Serapis, haud raro „dea Clazomene" [4]), de qua nihil habeo, quod explicem, porro Anaxagoras, Augusto regnante ΘΕΑ ΛΙΒΙΑ, postea ΘΕΑ ΑΝΤΩΝΙΑ. Hoc memorabile mihi visum est Apollinem et Iovem aetate imperatorum non iam in nummis exstare, Cererem antea non inveniri.

Addere dissertationi mihi appendicis instar liceat eorum nomina Clazomeniorum, quae apud veteres scriptores commemorata inveni.

Ante omnes Anaxagoras commemorandus est, quem in nummis quoque exstare iam supra dixi.

„Clazomenis, ut scribit C. Mueller fr. hist. gr. IV p. 340, Artemonum familiam viguisse praeter historicum nostrum, qui annales patriae et de Homero librum composuit, testatur Artemon ille notissimus, qui Pericli contra Samios belligeranti machinarum obsidionalium inventor exstitit." Historicus commemoratur ab Aeliano d. n. a. XII, 38; praeterea apud Suidam s. v. Ἀρκτῖνος; mechanicus ap. Plut. Per. 27; Diod. XII,

---

4) vid. Mionn. III, 69 nr. 72 *ΘΕΑ ΚΛΑΖΟΜΕΝΗ*, item III, 72 nr. 89; Suppl. VI, 90 nr. 68; saepissime *ΚΛΑΖΟΜΕΝΗ* voce *ΘΕΑ* omissa.

28, 3; plura invenies ap. C. Muell. in fr. hist. gr. Vol. IV p. 341[b].

De Timesio et Timesia vid. dissert. p. 33.

De Cephalo Clazomenio cfr. Plat. Parm. p. 126 A.

De Heraclide Clazomenio, quo ut praeclaro Athenienses ipsi usi sunt duce cfr. Plat. Ion. p. 541 D. et Aelian. v. h. XIV, 5, qui ex Platone sua hausit.

De Herodoto, qui primus Olympia vicit Clazomeniorum cfr. dissert. p. 37.

De Apollonide et Apollonio vid. diss. p. 18.

De Hermotimo cfr. Aristot. Met. I, 3, 984[b] 20; saepius apud Lucianum (Musc. enc. 7; Herm. 15 sqq.) eius mentio fit.

De Satyro Clazomenio vid. Aristot. Probl. 3, 27, 875[a] 35.

De Miccalo adeas librum Arriani Ἀλεξ. Ἀνάβ. VII, 19, 5.

Persium Clazomenium commemorat Horatius in sat. I, 7.

Artemidori cuiusdam memoria servata est in inscriptione, quae inventa est in „marmore in oppidi Vurla ecclesiae fronte infixo feralem exhibente coenam"; cfr. Boeckh II p. 689 nr. 3133:

Ἀρτεμίδωρε χρηστὲ χαῖρε.

De Bione Clazomenio aut Chio vid. Hippon. ap. Diog. Laert. l. IV c. 7, 11.

De Scopeliano sophista v. Philostr. vit. soph. I, 21; Suidas v. Πολέμων Λαοδικεύς et Σκοπελιανός.

Nomina magistratuum, quae tot in nummis inveniuntur autonomis, enumerare supersedeo.

De poetarum comicorum iocis ad Clazomenios pertinentibus Hesychii testimonia exstant. Cfr. Hes. s. v. Κλαζομένιοι „οὕτω κωμῳδοῦνται, δοκοῦσι γὰρ ἐπικύπτοντες προστιλᾶν". s. v. Κλαζομένιος „οὗτος ὁ Ἡρακλείδης ὁ Κλαζομένιός τε καὶ ὁ βαῦς (Βαῦς suspicatur Meineke) καλούμενος." „Hoc enim dicit Heraclidem propter flagitiosam spurcitiem a poëtis comicis ludibrii causa Clazomenium appellatum esse." (Meineke fr. com. gr. IV p. 639). ἐπικύπτοντες προστιλᾶν ipsa poëtae

verba esse Meinekius probabiliter statuit [1]). Hic etiam afferri potest Aeliani narratio de spurcitia singulorum Clazomeniorum v. h. II, 15: Κλαζομενίων τινὲς ἐς τὴν Σπάρτην ἀφικόμενοι καὶ ὕβρει καὶ ἀλαζονείᾳ χρώμενοι τοὺς τῶν ἐφόρων θρόνους, ἔνθα εἰώθασι καθήμενοι χρηματίζειν καὶ τῶν πολιτικῶν ἕκαστα διατάττειν, ἀλλὰ τούτους γε τοὺς θρόνους ἀσβόλῳ κατέχρισαν. μαθόντες δὲ οἱ ἔφοροι οὐκ ἠγανάκτησαν, ἀλλὰ τὸν δημόσιον κήρυκα καλέσαντες προσέταξαν αὐτὸν δημοσίᾳ κηρύξαι τοῦτο δὴ τὸ θαυμαζόμενον „ἐξέστω Κλαζομενίοις ἀσχημονεῖν." [2]) Eodem pertinet locus qui est in epist. Socrat. 36: cf. Hercher Herm. VIII p. 223.

Hipponactem Ephesium scimus ex patria, ubi non modo adversarios Bupalum et Athenin, sed etiam tyrannos ipsos Athenagoram et Cometem versibus acerrimis insectatus erat, expulsum Clazomenas confugisse: cfr. Suidas s. v. Ἱππῶναξ. Cui temporis spatio carmen Hipponactis attribuendum est, cuius prima verba haec erant:

Ὦ Κλαζομένιοι, Βούπαλος [3]) . . .

Ex Clazomeniorum dialecto Hesychius hoc servavit: ἄρναν· „τὸν ὅρκον, Κλαζομένιοι"; unde apparet Clazomenios pro ὅρκος etiam ἄρνα voce usos esse [4]). Sed probabile est, ὅρκος quidem quodlibet iusiurandum, ἄρνα vero vix aliud nisi id significasse, quo aliquid negatur.

---

1) Exempli tantum causa Clazomenae memorantur in Arist. Triphalete: Athen. XII p. 525 A

ἐπειθ' ὅσοι παρῆσαν ἐπίσημοι ξένοι
ἐπηκολούθουν, κἠντιβόλουν προσκείμενοι
ὅκως ἄγων τὸν παῖδα πωλήσει 'ς Χίον·
ἕτερος δ' ὅκως ἐς Κλαζομενάς· κτλ.

2) Aelianum exscripsit Eustath. ad Hom. Od. p. 1829. 15.

3) Frg. 13 ap. Bergk. Alterum versum, quem Bergkius apposuit „*ἀκούσαθ' Ἱππώνακτος· οὐ γὰρ ἀλλ' ἥκω*" a priori disiungendum et Callimacho assignandum esse demonstravit O. Schneider Callim. II p. 257.

4) Et *ἄρνα* et *Κῶνος* et *Μαμαγκία* (cfr. diss. p. 29). ex Hipponacte esse sumpta haud scio an Schmidtius (vid. Hesych. 5. hh. vv. et Schmidt. adnot.) recte suspicetur.

Denique, ne quid desideretur, schema quod Clazomenium dicitur commemoro, quamvis futilia sint quae Lesbonax p. 180 (apud Ammon. ed. Valcken.)[5]) de eo profert: Κλαζομένιον. ὡς τὸ πορεύομαι σὺν ἀγῶνι ἀντὶ τοῦ εἰς ἀγῶνα, ἀλλάσσον τὴν αἰτιατικὴν εἰς δοτικὴν καὶ τὴν πρόθεσιν εἰς πρόθεσιν, ὡς τὸ σὺν πατρίδι ἔβη ἀντὶ τοῦ εἰς τὴν πατρίδα· οὕτως Ἀντιφῶν.

5) Eadem leguntur in Cram. anecd. Oxon. IV p. 271.

Vita.

Ego Ioannes, Davidius, Christophius, Fridericus Labahn natus sum Rhinow, in oppidulo Brandenburgensi, pr. Cal. Sext. a. MDCCCLI, patre Friderico Labahn, matre Augusta e gente Hornia; matrem etiam superstitem esse valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis a patre ipso imbutus a. MDCCCLXIII in gymnasium Soltquellense me contuli, quod tum a Wentrupio v. cl. regebatur, postea Assmusii v. d. auspiciis florebat atque floret. Tempore paschali a. MDCCCLXXII testimono maturitatis accepto in universitatem Gryphiswaldensem commigravi, ubi per triennium scholis interfui philologicis Kiesslingii, Susemihlii, Preuneri, Schoellii, Hilleri, germanicis Hoeferi, Vogtii, philosophicis Susemihlii, Georgii, archaeologicis Preuneri, didacticis denique Kiesslingii, Schuppii, Wilmannsii. Kiesslingii et Schoellii et Hilleri benevolentiae debeo, quod per tria semestria semin. reg. philol. sodalis fui ordinarius. Omnibus illis viris optime de me meritis gratias ago quam plurimas!

Theses.

1. Magistro diligenter curandum est, ut iam ei discipuli, qui elementis linguae imbuuntur latinae, veram syllabarum quantitatem in pronuntiando servent.

2. Eurip. Med. vss. 106—107 (ed. Kirchhoff) cum Schoenio scribendum puto:

   δῆλον δ' ἀρχῆς ἐξαιρόμενον
   νέφος οἰμωγῆς ὡς τάχ' ἀνάξει
   μείζονι θυμῷ.

3. Strabon. l. XVII p. 801 verba „κατὰ Κυαξάρη δ' οὗτος ἦν τὸν Μῆδον" delenda esse censeo.

4. Corn. Nep. Att. IV, 3: nihilominus amicis urbana officia praestitit — urbana ad Romam mihi spectare videtur.

5. Xen. Hell. II, 3, 23: οἱ δ' ἐμποδὼν νομίζοντες αὐτὸν εἶναι τῷ ποιεῖν ὅτι βούλοιντο, ἐπιβουλεύουσιν αὐτῷ, καὶ ἰδίᾳ κτλ. pro τῷ ποιεῖν recte scribitur τοῦ ποιεῖν κτλ.